VETERVM ALIQVOT GALLIAE THEOLOGORVM SCRIPTA.

QVORVM NONNVLLA EX VETERIBVS LIBRIS EMENDATIVS, *aliqua nunc primùm eduntur.*

Indicem ſequens pagina habet.

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM NIVELLIVM, ſub Ciconiis via Iacobæa.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IN HOC CODICE CONTINENTVR.

Peregrini pro catholicæ fidei antiquitate & vniuerſitate aduerſus profanas omnium hæreticorum nouitates Commonitoria duo.

Phœbadij Aginnenſis Epiſcopi contra Epiſtolam ſiue Edictum ſub nomine Conſtantij Imp. emiſſum in Synodo Mediolanenſi liber 1.

Pars actorum concilij Arelatenſis primi catholici ſub Imp. Conſtantino.

S. Martini Turonenſis Epiſcopi profeſſio fidei catholicæ de Trinitate.

Fauſti Regienſis Epiſcopi ad obiecta quædam de ratione fidei catholicæ reſponſio.

Eiuſdem contra Neſtorij errorem ad G. diaconum.

Item de variis quæſtionibus ad B. Paulinum.

Et de pœnitentia ad Felicem PP.

Seueri Rhetoris & poëtæ Chriſtiani Carmen Bucolicum.

GENNADIVS MASSILIENSIS PRESBYTER IN LIBRO DE ILluſtrib. Eccleſiæ ſcriptorib.

Vincentius natione Gallus apud monaſterium Lerinenſis inſulæ presbyter, vir in ſcripturis ſanctis doctus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad euitanda hæreticorum collegia, nitido ſatis & aperto ſermone, validiſsimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo attitulauit, Peregrini aduerſus hæreticos. Cuius operis quia ſecundi libri maximam in ſcedulis partem à quibuſdam perdita recapitulatione reperi velocius paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegi, & vno in libro edidi. Moritur Theodoſio & Valentiniano regnantibus.

PEREGRINI PRO CATHOLICÆ FIDEI ANTIQVITATE ET VNIVERSITATE *aduerſus profanas omnium hæreticorum nouitates, Commonitorium primum.*

DICENTE ſcriptura & monente, Interroga patres tuos, & dicent tibi, ſeniores tuos, & adnuntiabũt tibi: & item, Verbis ſapientium adcommoda tuam aurem: & item, Fili meos ſermones ne obliuiſcaris, mea autem verba cuſtodiat cor tuum, videtur mihi minimó omnium ſeruorum Dei Peregrino, res nõ minimæ vtilitatis domino adiuuante futura, ſi ea quæ fideliter à ſanctis Patribus accepi, literis comprehendam; infirmitati certè propriæ perneceſſaria. quippe cùm adſit in promptu vnde imbecillitas memoriæ meæ adſidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non ſolùm fructus operis, ſed etiam conſideratio tempo- *Deut. 32.*

ris, & oportunitas loci adhortatur, & tempus: propterea quod cum ab eo omnia humana rapiãtur, & nos ex eo aliquid inuicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æternam: præſertim cum & adpropinquantis diuini iudicij terribilis quædam expectatio augeri efflagitet ſtudia religionis, & nouorum hæreticorum fraudulentia multum curæ & attentionis indicat. Locus autem, quod vrbium frequentiam turbáſque vitantes, remotioris villulæ, & in ea ſecretum monaſterij incolamus habitaculum, vbi abſque magna diſtractione fieri poſſit illud quod canitur in Pſalmo, Vacate, inquit, & videte, quoniã ego ſum dominus. Sed & propoſiti noſtri ratio in id conuenit, quippe qui cum aliquãdiu variis ac triſtibus ſæcularis militiæ turbinibus volueremur, tandem nos in portum religionis cunctis ſemper fidiſſimum, Chriſto adſpirante condidimus, vt ibi depoſitis vanitatis ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placantes Deum, non ſolum præſentis vitæ naufragia, ſed etiam futuri ſæculi incendia vitare poſſimus. Sed iam in nomine domini quod inſtat, adgrediar, vt ſcilicet à maioribus tradita, & apud nos depoſita deſcribam, relatoris fide potius, quàm auctoris præſumptione; hac tamẽ ſcribendi lege ſerua-

ta,vt nequaquam omnia, ſed tantum, neceſſaria quæque perſtringam : neque id ornato & exacto,ſed facili cõmuníque ſermone, vt pleraque ſignificata potius,quàm explicata videãtur.Scribãt ij laute & accurate, qui ad hoc munus vel ingenij fiducia, vel officij ratione ducuntur;me verò ſubleuandæ recordationis,vel potius obliuionis meæ gratia Commonitorium mihimet paraſſe ſuffecerit, quod tamen paulatim recolẽdo quæ didici, emendare, & implere quotidie domino præſtãte conabor. Atque hoc ipſum idcirco præmonui, vt ſi forte elapſum nobis in manus ſanctorum deuenerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promiſſa emendatione limandum.Sæpe igitur magno ſtudio & ſumma attentione perquirẽs, à quàm plurimis ſanctitate & doctrina præſtãtibus viris, quo nam modo poſſim certa quadam, & quaſi generali ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſũ ab omnibus ferè retuli, quod ſiue ego,ſiue quis vellet exſurgentium hæreticorum fraudes deprehẽdere, laqueóſque vitare,& in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam domino adiuuante deberet: Primum ſcilicet diuinæ le-

gis auctoritate, tum deinde eccleſiæ catholicæ traditione. Hic forſitan requirat aliquis: cum ſit perfectus ſcripturarum canon, ſibíque ad omnia ſatis ſupérque ſufficiat, quid opus eſt vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacrá pro ipſa ſui altitudine nō vno eodémque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſentētiæ erui poſſe videantur. Aliter nanque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atqui idcirco multùm neceſſe eſt propter tantos tam varij erroris anfractûs, vt propheticæ & apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundum eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item catholica eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim verè propriéque catholicū, quod ipſa vis nominis, ratióque declarat, quæ omnia ferè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiat, ſi ſequamur vniuerſitaté, antiquitatem, cōſenſionem. Sequemur autem

vniuerſitatem hoc modo: Si hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab iis ſéſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: cóſenſionem quoque itidẽ, ſi in ipſa vetuſtate ómnium, vel certe penè omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones, ſententiáſque ſectemur. Quid igitur tunc faciet Chriſtianus catholicus, ſi ſe aliqua eccleſię particula, ab vniuerſalis fidei communione præciderit? Quid vtique, niſi vt peſtifero corruptóque membro ſanitatem vniuerſi corporis anteponat? Quid ſi nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, ſed totam pariter eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certè ciuitatis vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis concilij decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, vbi nihil eiuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit, vt conlatas inter ſe maiorum conſulat interro-

gétque ſententias, eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis, in vnius tamen eccleſiæ catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt, & quicquid non vnus aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodémque conſenſu aperte, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoque intelligat abſque vlla dubitatione credendum. Sed vt planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſigillatim inluſtranda ſunt, & paulo vberius exaggeranda, ne immodicæ breuitatis ſtudio rapiantur rerum pōdera orationis celeritate. Tempore DONATI, à quo Donatiſtæ, cum ſeſe multa pars Africæ in erroris ſui furias præcipitaret, cúmque immemor nominis, religionis, profeſſionis, vnius hominis ſacrilegam temeritatem eccleſiæ Chriſti præponeret, tunc quicunque per Africam conſtituti, profano ſchiſmate deteſtato, vniuerſis mundi eccleſiis adſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra ſacraria catholicæ fidei ſalui eſſe potuerunt: egregiā profecto relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet deinceps bono more, vnius, aut certe paucorū vęſanię vniuerſorum ſanitas anteferretur. Item quando Arriorum venenum, non iam portiūculam quandam, ſed penè orbem totum con-

taminauerat, adeó vt prope cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quędam mentibus offunderetur, quid nam potiſſimum in tanta rerum confuſione ſequendum foret, tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, antiquam fidē nouellæ perfidiæ præferendo, nulla contagij ipſius peſte maculatus eſt. Cuius quidem temporis periculo ſatis ſupérque monſtratum eſt, quantum inuehatur calamitatis nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolum paruę res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantum adfinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam vrbes, populi, prouincię, nationes, vniuerſum poſtremo Romanum imperiū funditus concuſſum & emotum eſt. Nanque cum profana ipſa Arriorum nouitas, velut quædā Bellona, aut Furia, capto primo omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere atque vexare, priuata ac publica, ſacra profanáque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque conlibuiſſet tāquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ coniuges, depulatæ viduæ, profanatæ virgines, dilacerata monaſteria, diſturbati Clerici, verbe-

rati Leuitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla: Quorũ pars maxima interdictis vrbibus protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, cõtriti & tabefacti ſũt. Atqui hæc omnia nunquid vllam aliam ob cauſam, niſi vtique, dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur? Dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dũ reſcinduntur ſcita patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum ſeſe intra ſacratę atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites, profanæ ac nouellæ curioſitatis libido non continet? Sed forſitan odio nouitatis, & amore vetuſtatis hæc fingimus. Quiſquis hoc æſtimat, beato ſaltem credat AMBROSIO, qui in ſecũdo ad Imperatorẽ GRATIANVM libro, acerbitatem temporis ipſe deplorans ait: „ Sed iam „ ſatis, inquit, omnipotens Deus, noſtro exitio, „ noſtróque ſanguine, confeſſorum neces, exi„ tia ſacerdotũ, & nefas tãtæ impietatis eluimus. „ Satis claruit, eos qui violauerint fidem, tutos „ eſſe non poſſe. Item, in tertio eiuſdem operis „ libro: Seruemus igitur, inquit, præcepta maio„ rum, nec hereditaria ſignacula auſi rudi teme„ ritate violemus. Librum ſignatum illum propheticum

pheticum non ſeniores, non poteſtates,nõ an- "
geli,non archangeli aperire auſi ſunt,ſoli Chri- "
ſto explanandi eius prærogatiua ſeruata eſt. Li- "
brum ſacerdotalem quis noſtrum diſſignare "
audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorũ "
iam martyrio conſecratum? Quem qui diſſi- "
gnare coacti ſunt,poſtea tamen damnata fraude ſignarunt, qui violare non auſi ſunt, confeſſores, & martyres extiterunt, quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Prædicamus plane, inquam,ô venerande AMBROSI,laudantéſque miramur:nam quis ille tam demẽs eſt, qui eos, & ſi adſequi non eualeat, non exoptet ſequi, quos à defenſione maiorum fidei,nulla vis depulit?non minæ, non blandimenta, non vita, non mors,non palatium,non ſatellites,nõ imperator,non imperium,non homines,non dęmones. Quos inquam, pro religioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos iudicauit, vt per eos proſtratas reſtauraret eccleſias, extinctos ſpiritaliter populos viuificaret, deiectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellæ impietatis non literas, ſed lituras,infuſo cœlitus Epiſcopis fidelium lachrymarum fonte deleret? Vniuerſum poſtremo iam penè mundum, ſæua repentinæ hæreſeos

tempeſtate perculſum, ad antiquam fidẽ à nouella perfidia, ad antiquam ſanitatem à nouitatis væſania, ad antiquam lucem à nouitatis cæcitate reuocaret. Sed in hac diuina quadam confeſſorum virtute, illud eſt etiam nobis vel maxime conſiderandum, quod tunc apud ipſam eccleſiæ vetuſtatem, non partis alicuius, ſed vniuerſitatis ab iis eſt ſuſcepta defẽſio. Neque enim fas erat, vt tanti ac tales viri vnius aut duorum hominum errabundas, ſibíque ipſis contrarias ſuſpitiones tam magno molimine adſererẽt, aut vero pro alicuius prouinciolæ temeraria quadam conſpiratione certarent; ſed omnium ſanctæ eccleſiæ ſacerdotum, apoſtolicæ & catholicæ veritatis heredum decreta & definita ſectantes, maluerũt ſemetipſos, quàm vetuſtæ vniuerſitatis fidem prodere. Vnde & ad tantam gloriam peruenire meruerunt, vt nõ ſolum confeſſores, verum etiam confeſſorum principes iure meritóque habeãtur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planéque diuinum, & veris quibuſque catholicis indefeſſa meditatione recolendum, qui in modum ſeptemplicis candelabri, ſeptena ſancti ſpiritus luce radiati, clariſſimã poſteris formulam præmonſtrarunt, quo nam modo deinceps per ſingula quæque erroris vaniloquia,

ſacratæ vetuſtatis auctoritate profanæ nouitatis cõteratur audacia. Neque hoc ſane nouum, ſiquidem mos iſte ſemper in eccleſia viguit, vt quo quiſque foret religioſior, eò promptius nouellis adinuẽtionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, vnum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimum ſede ſumemus, vt omnes luce clarius videãt, beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Quõdam igitur venerabilis memoriæ AGRIPINVS Carthaginienſis Epiſcopus, primus omnium mortalium cõtra diuum canonem, contra vniuerſalis eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atque inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali inuexit, vt non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatẽ rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquã verſum ſacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum vt opinor

exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quãtum loci auctoritate ſuperabat. Denique in Epiſtula, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit, nihil nouandum niſi quod traditum eſt. Intelligebat enim vir ſanctus & prudẽs, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, nóſque religionem non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere, ídque eſſe proprium Chriſtianę modeſtię & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maiorib. accepta ſeruare. Quis ergo tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa nouitas. Sed forte tunc ipſi nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt. Imò vero tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula, ſed plane nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Quid poſtremo ipſius Africani Concilij ſiue decreti, quæ vires? donante Deo, nullæ, ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ,

tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt. Et ô rerum mira conuerſio, auctores eiuſdem opinionis catholici, conſectatores vero hæretici iudicantur: Abſoluuntur magiſtri, cōdemnātur diſcipuli: conſcriptores librorum filij regni erunt, aſſertores vero gehenna ſuſcipiet. Nam quis ille tam demens eſt, qui illud ſanctorum omnium & Epiſcoporum, & martyrum lumen beatiſſimum Cyprianum cum cæteris collegis ſuis in æternū dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? aut quis tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius auctoritate concilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? Quod quidē mihi diuinitus videtur promulgatum eſſe iudicium, propter eorum maxime fraudulētiam, qui cum ſub alieno nomine hęreſim concinnare machinentur, captant plerūque veteris cuiuſpiam viri ſcripta, paulo inuolutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, vt illud neſcio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videātur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam iudico, vel eò quod hæreſeos venenum propinare aliis non extimeſcunt, vel eò etiam quod ſancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſopitos iam cineres pro-

ſana manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: ſequentes omnino veſtigia auctoris ſui Chan, qui nuditatem venerandi Noë, non modo operire neglexit, verum quoque inridēdam cæteris enuntiauit. Vnde tātam læſæ pietatis meruit offenſam, vt etiam poſteri ipſius peccati ſui maledictis obligarētur; beatis illis fratribus longæque diſſimilis, qui nuditatem ipſam reuerendi patris neque ſuis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, ſed auerſi, vt ſcribitur, texerunt eum. Quod eſt, erratum ſancti viri nec adprobaſſe, nec prodidiſſe, atque idcirco beata in poſteros benedictione donati ſūt. Sed ad propoſitum redeamus. Magno igitur metu nobis immutatæ fidei, ac temeratæ religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos non ſolum conſtitutionis eccleſiaſticæ diſciplina, ſed etiam cenſura apoſtolicæ deterret auctoritatis. Scitum etenim cunctis eſt, quam grauiter, quam ſeuere, quam vehemēter inuehatur in quoſdam beatus Apoſtolus Paulus, qui mira leuitate nimium cito tranſlati fuerāt ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod nō eſt aliud, qui coaceruarant ſibi magiſtros ad ſua deſideria, à veritate quidem auditum auertentes, conuerſi ve-

rò ad fabulas, habentes damnationem, quod primam fidem irritam feciſſent, quos deceperant hi, de quibus ad Romanos fratres ſcribit idem Apoſtolus; Rogo autem vos fratres, vt « obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula « præter doctrinam quam ipſi didiciſtis faciunt, « & declinate ab illis: huiuſmodi enim Chriſto « domino non ſeruiunt, ſed ſuo vētri, & per dul- « ces ſermones & benedictiones ſeducūt corda « innocētium. Qui intrāt per domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ du- « cuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & ad « ſcientiā veritatis nunquam peruenientes, vani- « loqui & ſeductores, qui vniuerſas domos ſub- « uertunt, docentes quæ non oportet turpis lu- « cri gratia, homines corrupti mēte, reprobi cir- « ca fidem, ſuperbi, & nihil ſcientes, ſed languē- « tes circa quæſtiones & pugnas verborum, qui « veritate priuati ſunt, exiſtimantes quæſtum eſ- « ſe pietatem, ſimul autem & otioſi diſcunt cir- « cumire domos, non ſolum autem otioſi, ſed « & verboſi, & curioſi, loquentes quæ non o- « portet, qui bonam conſcientiam repellentes « circa fidem naufragauerunt. Quorum pro- « fana vaniloquia multum proficiunt ad im- « pietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. « Bene autem quod de iis item ſcribitur: ſed vl- «

Rom. 16.

1. Tim. 3.

tra nõ proficiunt, inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Cũ ergo tales quidam circumeuntes prouincias & ciuitates, atque errores venalitios circumferẽdo etiam ad Galatas deueniſſent: cúmque iis auditis Galatæ, nauſea quadam veritatis adfe-ĉti, apoſtolicæ, catholicæq́ue doctrinæ manna reuomentes, hæreticæ nouitatis ſordibus oblectarẽtur, ita ſeſe apoſtolicæ poteſtatis exſeruit auctoritas, vt ſumma cum ſeueritate decerneret: Sed licet aut nos, inquit, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Quid eſt quod ait, ſed licet nos? Cur non potius, ſed licet ego? Hoc eſt, etiam ſi Petrus, etiam ſi Andreas, etiam ſi Ioannes, etiam ſi poſtremo omnis Apoſtolorum chorus euangelizet vobis præterquam quod euãgelizauimus, anathema ſit. Tremenda diſtrictio, propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi nec cæteris coapoſtolis pepercíſſe. Parum eſt etiamſi angelus, inquit, de cœlo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus, anathema ſit. Non ſuffecerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei humanæ cõditionis commemoraſſe naturam, niſi angelicam quoque excellentiã comprehendiſſet. Licet nos, inquit, aut angelus de cœlo.

cœlo. Non quia ſancti cœleſtéſque angeli peccare iam poſſint, ſed hoc eſt quod dicit: Si etiã, inquit, fiat quod non poteſt fieri, quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tentauerit, anathema ſit. Sed hæc forſitan perfunctorie prælocutus eſt, & humano potius effudit impetu, quam diuina ratione decreuit. Abſit. Sequitur enim, & hoc ipſum ingenti molimine iteratæ inſinuationis inculcat: Sicut prædiximus, inquit, & nunc iterum dico: Si quis vobis euãgelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Non dixit: ſi quis vobis adnuntiauerit præterquã quod accepiſtis, benedictus ſit, laudetur, recipiatur, ſed anathema ſit, inquit, id eſt, ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis dirum contagium innoxium gregem Chriſti venenata permixtione contaminet. Sed forſitan Galatis tantum iſta præcepta ſunt. Ergo & illa ſolis Galatis imperata ſunt, quę in eiuſdem Epiſtolæ ſequentibus commemorantur, qualia ſunt hæc: Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et reliqua. Quod ſi abſurdum eſt, & omnibus, ex æquo imperata ſunt, reſtat vt ſicut hæc morũ mandata, ita etiam illa quæ de fide cauta ſunt, omnes pari modo comprehẽdant: Et ſicut ne-

mini licet inuicem prouocare, aut inuidere inuicem. ita nemini liceat, præter id quod eccleſia catholica vſquequaque euangelizat, accipere. Aut forſitan tunc iubebatur, ſi quis adnũtiaſſet præterquam quod adnuntiatum fuerat, anathemari, nunc vero iam non iubetur. Ergo & illud quod item ibi ait: Dico autem ſpiritu ambulate, & deſiderium carnis non perficietis, tunc tantum iubebatur, modo vero iam non iubetur. Quod ſi impiũ pariter & pernitioſum eſt ita credere, neceſſariò ſequitur, vt ſicut hæc cunctis ætatibus obſeruanda ſunt, ita illa quoque quæ de non mutanda fide ſancta ſunt, cũctis ætatibus imperata ſint. Adnuntiare ergo aliquid Chriſtianis catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet, numquam licebit: & anathemare eos qui adnuntiant aliquid præterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ cum ita ſint eſt ne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud eccleſiam adnuntiatum eſt, adnuntiet: Vel tantæ leuitatis, qui præter id quod ab eccleſiis accepit, accipiat? Clamat, & repetendo clamat, & omnibus, & ſemper, & vbiq; per literas ſuas clamat ille, ille vas electionis, ille magiſter Gentium, ille Apoſto-

lorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum cõſcius, vt ſi quis nouum dogma adnuntiauerit, anathemetur. Et cõtra reclamãt ranæ quædã, & ſcnifes, & muſcæ morituræ, quales ſunt PELAGIANI, & hoc catholicis, Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, reiicite antiquam fidem, paterna inſtituta, maiorum depoſita, & recipite, quæ nam illa tãdem? Horreo dicere, ſunt enim tam ſuperba, vt mihi non modo adfirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe videãtur. Sed dicet aliquis. Cur ergo perſæpe diuinitus ſinuntur excellentes quædam perſonæ in eccleſia conſtitutæ, res nouas catholicis adnuntiare? Recta interrogatio, & digna quæ diligentius atque vberius pertractetur, cui tamẽ non ingenio proprio, ſed diuinæ legis auctoritate, eccleſiaſtici magiſtri documento ſatisfaciendum eſt. Audiamus ergo ſanctum Moſen, & ipſe nos doceat, cur docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiam ab Apoſtolo etiam Prophetæ nuncupantur, proferre interdũ permittantur noua dogmata, quæ vetus teſtamẽtum allegorico ſermone Deos alienos appellare conſueuit, eò quod ſcilicet ita ab hæreticis ipſorum opiniones; ſicut à gẽtilibus dij ſui ob-

ſeruentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moſes: Si ſurrexerit, inquit, in medio tui Propheta, aut quis ſomnium vidiſſe ſe dicat: Id eſt, magiſter in eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli vel auditores ſui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et prædixerit, inquit, ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt: Magnus profectò neſcio quis ſignificatur magiſter, & tantæ ſciẽtiæ, qui ſectatoribus propriis non ſolum quæ humana ſunt noſſe, verum etiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe videatur: Quales ferè diſcipuli ſui iactitãt fuiſſe VALENTINVM, DONATVM, FOTINVM, APOLLINARVM, cæteróſque eiuſmodi. Quid poſtea: Et dixerit, inquit, tibi, eamus & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis. Qui ſunt dij alieni, niſi errores extranei quos ignorabas? id eſt noui & inauditi: & ſeruiamus eis, id eſt, credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extremum? Non audies, inquit, verba Prophetæ illius, aut Somniatoris. Et quare, oro, te à Deo non prohibetur doceri, quod adeo prohibetur audiri? Quia, inquit, tentat vos dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdum diuina prouidẽ-

tia quoſdam eccleſiarum magiſtros, noua quędam dogmata prædicare patiatur; vt tentet vos dominus, inquit, Deus veſter. Et profectò magna tentatio eſt, cum ille quem tu Prophetam, quem Prophetarum diſcipulum, quem doctorem & adſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis, is ſi ſubito latēter noxios ſubinducat errores, quos nec cito deprehēdere valeas, dum antiqui magiſterij duceris præiudicio, nec facile damnare ducis fas, dum magiſtri veteris præpediris affectu. Hic forſitan efflagitet aliquis, vt ea quæ ſancti Moſei verbis adſerta ſunt, eccleſiaſticis aliquibus demonſtrentur exemplis. Æqua expoſtulatio, nec diu differenda. Nam vt à proximis & manifeſtis incipiam, qualem fuiſſe nuper tentationem putamus, cum infelix ille NESTORIVS, ſubito ex oue conuerſus in lupum, gregem Chriſti lacerare cœpiſſet? cum eum ij ipſi qui rodebantur ex magna adhuc parte ouem crederent, ideóque morſibus eius magis paterent. Nam quis eum facile errare arbitrarētur, quem tanto imperij iudicio electum, tanto ſacerdotum ſtudio proſecutum videret? qui cum magno ſanctorum amore, ſummo populi fauore celebraretur, quotidie palàm diuina tractabat eloquia, & noxios quoque

Iudæorum & Gentilium confutabat errores. Quo tandem iſte modo non cuiuis fidem faceret ſe recta docere, recta prædicare, recta ſentire, qui vt vni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarumq; hæreſeon blaſphemias inſectabatur. Sed hoc erat illud quod Moſes ait: Tẽptat vos dominus Deus veſter, ſi diligatis eum an non. Et vt NESTORIVM prætereamus, in quo plus ſemper admirationis quàm vtilitatis, plus famæ quàm experientiæ fuit: quem opinione vulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia quàm diuina: Eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multáque induſtria præditi, non paruæ tentationi catholicis hominibus extiterunt: velut apud Pannonias maiorum memoria Fotinus eccleſiam Sirmitanam temptaſſe memoratur, vbi cum magno omnium fauore in ſacerdotiũ fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tanquam catholicus adminiſtraret, ſubito ſicut malus ille Propheta, aut ſomniator, quem Moſes ſignificat, creditã ſibi plebem dei perſuadere cœpit, vt ſequerentur deos alienos, id eſt, errores extraneos, quos antea neſciebat. Sed hoc vſitatum, illud verò pernitioſum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis vtebatur: nam erat & ingenij viribus valens, & doctrinæ opibus excel-

lens, & eloquio præpotẽs: quippè qui vtroque ſermone copioſe & grauiter diſputaret, & ſcriberet, quod monumentis librorum ſuorũ manifeſtatur, quos idem partim græco, partim latino ſermone compoſuit. Sed bene, quod cõmiſſæ ipſi oues Chriſti multum pro catholica fide vigilantes & caute cito ad præmonentis Moſi eloquia reſpexerunt, & Prophetæ atque paſtoris ſui licet admirarentur eloquentiam, tẽptationem tamẽ non ignorarũt: Nam quem antea quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps velut lupum fugere cœperunt. Neque ſolum Fotini; ſed etiam Apollinaris exemplo iſtius eccleſiaſticæ temptationis periculum dicimus, & ſimul ad obſeruandæ diligentius fidei cuſtodiam commonemur. Et ipſe enim auditoribus ſuis magnos æſtus & magnas generauit anguſtias, quippe cum eos huc eccleſiæ traheret auctoritas, huc magiſtri retraheret conſuetudo. cumque inter vtraque nutabundi & fluctuantes, quid potius ſibi ſeligendum foret non expedirent. Sed forſitan eiuſmodi ille vir erat, qui dignus eſſet facile contẽni. Imò verò tantus ac talis, cui nimium cito in plurimis crederetur. Nam quid illo præſtãtius acumine, exercitatione, doctrina? quam multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſit,

quot inimicos fidei confutauit errores, indicio eſt opus illud xxx. non minus librorum nobiliſſimum & maximum, quo inſanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confudit. Longum eſt vniuerſa ipſius opera commemorare, quibus profecto ſummis ædificatoribus eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profana illa hæreticæ curioſitatis libidine nouum neſcio quid adinueniſſet, quos & cūctos labores ſuos velut cuiuſdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret vt doctrina eius non tam ædificatio, quàm tentatio potius eccleſiaſtica diceretur. Hic à me forſitan depoſcatur, vt horum quos ſupra commemoraui hæreſes exponam, Neſtorij ſcilicet, Apollinaris & Fotini. Hoc quidem ad rem de qua nunc agimus non attinet: propoſitum etenim nobis eſt non ſingulorum errores perſequi, ſed paucorum exempla proferre, quibus euidenter ac perſpicue demōſtretur illud quod Moſes ait. Quia ſcilicet, ſi quando eccleſiaſticus aliquis magiſter, & ipſe interpretandis Prophetarum myſteriis propheta, noui quiddā in eccleſiam dei tentet inducere, ad tentationem id noſtram fieri prouidentia diuina patiatur. Vtile igitur fuerit in excurſu, quid ſupra memorati hæretici ſentiant, breuiter exponere, id eſt, Fotinus, Apollinaris, Neſtorius.

Neſtorius. Fotini ergo ſecta hæc eſt: Dicit deum ſingulum eſſe & ſolitarium, & more Iudaico confitendum, trinitatis plenitudinem negat, neque vllam dei verbi, aut vllam ſpiritus ſancti putat eſſe perſonam: Chriſtum vero hominem tantummodo ſolitarium adſerit, cui principium adſcribit ex Maria, & hoc omnimodis dogmatizat, ſolã nos perſonam dei patris, & ſolum Chriſtum hominem colere debere. Hæc ergo Fotinus. Apollinaris verò, in vnitate quidem trinitatis quaſi cõſentire ſe iactitat, & hoc ipſum nõ plena fidei ſanitate, ſed in domini incarnatione aperta profeſſione blaſphemat: Dicit enim in ipſa Saluatoris noſtri carne, aut animam humanam penitus non fuiſſe, aut certe talem fuiſſe, cui mens & ratio non eſſet: ſed & ipſam domini carnem, non de ſanctæ virginis Mariæ carne ſuſceptam, ſed de cœlo in virginem deſcendiſſe dicebat, eámque nutabundus ſemper & dubius, modo coæternam deo verbo, modo de verbi diuinitate factã prædicabat: nolebat enim in Chriſto duas eſſe ſubſtantias: vnam diuinam, alteram humanã, vnam ex patre, alteram ex matre: ſed ipſam verbi naturam putabat eſſe diſciſſam, quaſi aliud eius permaneret in deo, aliud vero verſum fuiſſet in carnẽ: vt cum veritas dicat ex duabus

ſubſtantiis vnum eſſe Chriſtum: ille contrarius veritati, ex vna Chriſti diuinitate duas adſerát factas eſſe ſubſtantias. Hæc itaque Apollinaris. Neſtorius autem contrario Apollinari morbo, dum ſeſe duas in Chriſto ſubſtátias diſtinguere ſimulat, duas introducit repente perſonas, & inaudito ſcelere duos eſſe vult filios dei, duos Chriſtos: vnum deum, alterum hominem: vnũ qui ex patre, alterũ qui ſit generatus ex matre. Atque ideo aſſerit ſanctam Mariam non θεότοκον, ſed χριστότοκον eſſe dicēdam: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui deus, ſed ille qui erat, homo natus ſit. Quod ſi quis eum putat in literis ſuis vnum Chriſtum dicere, & vnam Chriſti prædicare perſonam, non temere credat: aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, vt per bona facilius ſuaderet & mala, ſicut ait Apoſtolus: Per bonum mihi operatus eſt mortem. Aut ergo vt diximus, fraudulentiæ cauſa quibuſdam in locis ſcriptorum ſuorum vnũ Chriſtum, & vnam Chriſti perſonam credere ſe iactitat: Aut certe poſt partum iam virginis ita in vnum Chriſtum duas perhibet conueniſſe perſonas, vt tamen conceptus, ſeu partus virginei tempore, & aliquanto poſtea duos Chriſtos fuiſſe contendat; vt cum ſcilicet Chriſtus homo communis primum & ſolitarius natus

ſit, & necdum dei verbo perſonæ vnitate ſociatus, poſtea in eum adſumentis verbi perſona deſcenderit: & licet nunc in dei gloria maneat adſumptus, aliquandiu tamē nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur. Hæc ergo Neſtorius, Apollinaris, Fotinus aduerſus catholicam fidem rabidi canes latrant: Fotinus trinitatem non confitendo: Apollinaris conuertibilem verbi dicendo naturam, & duas in Chriſto ſubſtantias non confitendo, & aut totam Chriſti animam, aut certe mentē atque rationem in anima denegando, & adſerendo pro ſenſu mentis fuiſſe dei verbum: Neſtorius duos Chriſtos, aut ſemper eſſe, aut aliquandiu fuiſſe aſſeuerando. Eccleſia verò catholica, & de deo, & de Saluatore noſtro recta ſentiens, nec in trinitatis myſterio, nec in Chriſti incarnatione blaſphemat: Nam & vnam diuinitatē in trinitatis plenitudine, & trinitatis æqualitatem in vna atque eadem maieſtate veneratur: & vnum Chriſtum Ieſum, non duos, eundémque deum pariter atque hominem confitetur: Vnam quidem in eo perſonam, ſed duas ſubſtantias: duas ſubſtantias, ſed vnam credit eſſe perſonam: duas ſubſtātias, quia mutabile non eſt verbum dei, vt ipſum verteretur in carnem: vnam perſonam, ne duos profitēdo filios qua-

ternitatem videatur colere, nõ trinitatem. Sed operæpretium eſt, vt idipſum etiam atque etiá diſtinctius & expreſſius enucleemus. Indeo vna ſubſtátia, ſed tres perſonæ: In Chriſto duæ ſubſtátiæ, ſed vna perſona: In trinitate alius atque alius, non aliud, atque aliud: In Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quo modo in trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia ſcilicet alia eſt perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti. Sed tamen patris & filij & ſpiritus ſancti non alia & alia, ſed vna eadémque natura. Quomodo in Saluatore aliud atque aliud, nõ alius atque alius? Quia videlicet altera ſubſtantia diuinitatis, altera humanitatis, ſed tamen deitas & humanitas non alter & alter, ſed vnus idémque Chriſtus, vnus idémque filius dei, & vnius eiuſdémque Chriſti & filij dei vna eadémque perſona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima, ſed vnus idẽque homo anima & caro. In Petro vel Paulo aliud anima, aliud caro, nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro, ſed vnus idémque Petrus, vnus idémque Paulus, ex duplici diuerſáque ſubſiſtens animi corporíſque natura. Ita igitur in vno eodẽque Chriſto duæ ſubſtantiæ ſunt, ſed vna diuina, altera humana: vna ex patre deo, altera ex matre virgine: vna coæterna & æqualis patri, altera ex

tempore & minor patre: vna conſubſtantialis patri, altera conſubſtãtialis matri: vnus tamen idemque Chriſtus in vtraque ſubſtantia. Non ergo alter Chriſtus deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impaſſibilis, alter paſſibilis: nõ alter æqualis patri, alter minor patre; non alter ex patre, alter ex matre, ſed vnus idemque Chriſtus deus & homo: idem non creatus & creatus: idem incommutabilis & impaſſibilis: idem cõmutatus & paſſus: idem patri & æqualis & minor: idẽ ex patre ante ſæcula genitus: idem in ſæculo ex matre generatus: perfectus deus, perfectus homo: in deo ſumma diuinitas, in homine plena humanitas: Plena, inquam, humanitas, quippe quę animã ſimul habeat & carnem, ſed carnẽ veram noſtram, maternam: animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Eſt ergo in Chriſto verbum, anima, caro, ſed hoc totum vnus eſt Chriſtus, vnus filius dei, & vnus ſaluator ac redemptor noſter. Vnus autem nõ corruptibili neſcio qua diuinitatis & humanitatis cõfuſione, ſed integra & ſingulari quadam vnitate perſonæ: Neque enim illa coniunctio alterum in alterum conuertit atque mutauit, qui eſt error proprius Arriorum, ſed ita in vnum potius vtrunque compegit, vt manente

ſemper in Chriſto ſingularitate vnius eiuſdémque perſonæ, in æternum quoque permaneat proprietas vniuſcuiuſque naturæ: quo ſcilicet nec vnquam deus corpus eſſe incipiat, nec aliquando corpus, corpus eſſe deſiſtat, quod etiã humanæ conditionis demonſtratur exemplo. Neque enim in præſenti tantum, ſed in futuro quoque vnuſquiſque hominum ex anima cõſtabit & corpore, nec tamen vnquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus, ſed vnoquoque hominum ſine fine victuro, in vnoquoque hominum ſine fine neceſſariò vtriuſque ſubſtantiæ differentia permanebit. Ita in Chriſto quoque vtriuſque ſubſtantiæ ſuæ cuique in æternum proprietas, ſalua tamẽ perſonæ vnitate retinenda eſt. Sed cum perſonam ſæpius nominamus, & dicimus quod deus per perſonam homo factus ſit, vehementer verendum eſt, ne hoc dicere videamur, quod deus verbum ſola imitatione actionis quæ ſunt noſtra ſuſceperit, & quidquid illud eſt conuerſationis humanæ quaſi adumbratus non quaſi verus homo fecerit. Sicut in theatris fieri ſolet, vbi vnus plures effingit repente perſonas, quarum ipſe nulla eſt: Quotieſcunque etenim aliqua ſuſcipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrãtur, vt tamen hi qui

agunt non ſint ipſi quos agũt. Neque enim, vt verbi gratia ſæcularium & Manichæorum vtamur exemplis, cum actor tragicus ſacerdotem effingit, aut regem, ſacerdos aut rex eſt: nam deſinente actu ſimul & ea quæ ſuſceperat perſona deſiſtũt. Abſit hoc à nobis nefarium ſceleſtúmque ludibrium, Manichæorum ſit iſta dementia, qui phantaſiæ prædicatores, aiũt filium dei deum perſonam hominis non ſubſtãtiæ extitiſſe, ſed actu putatiuo quodam & conuerſatione ſimulaſſe. Catholica vero fides ita verbum dei hominẽ factum eſſe dicit, vt quæ noſtra ſunt, non fallaciter & adumbrate, ſed vere expreſſéque ſuſciperet, & quæ erant humana, nõ quaſi aliena imitaretur, ſed potius vt ſua gereret, & prorſus quod agebat, hoc eſſet, quod agebat, is eſſet. Sicut ipſi nos quoque in eo quod loquimur, ſapimus, viuimus, ſubſiſtimus, nõ imitamur homines, ſed ſumus. Neque enim Petrus & Ioãnes, vt eos potiſſimum nominem, imitando erant homines, ſed ſubſiſtẽdo. Neque item Paulus ſimulabat Apoſtolum, aut fingebat Paulum, ſed erat Apoſtolus, & ſubſiſtebat Paulus. Ita etiam deus verbum adſumendo, & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, ſine vlla tamen ſuæ corruptione naturæ hoc omnino præſta-

re dignatus eſt, vt hominem perfectum non imitaretur, aut fingeret, ſed exhiberet, vt homo verus non videretur aut putaretur, ſed eſſet atq; ſubſiſteret. Igitur ſicut anima cōnexa carni, nec in carnem tamen verſa, nō imitatur hominem, ſed eſt homo, & homo non per ſimulationem, ſed per ſubſtantiam: ita etiam verbū deus abſque vlla ſui conuerſione, vniēdo ſe homini non confundendo, non imitando factus eſt homo, ſed ſubſiſtendo. Abiiciatur ergo tota penitus perſonæ illius intelligentia, quę fingendo imitatione ſuſcipitur, vbi ſemper aliud eſt, & aliud ſimulatur: vbi ille qui agit, nunquā is eſt quē agit. Abſit etenim vt hoc fallaci modo deus verbum perſonam hominis ſuſcepiſſe credatur, ſed ita potius, vt incommutabili ſua manente ſubſtantia, & in ſe perfecti hominis ſuſcipiendo naturam, ipſe caro, ipſe homo, ipſe perſona hominis exiſteret, non ſimulatoria, ſed vera: non imitatiua, ſed ſubſtantiua: nō denique quæ cū actione deſiſteret, ſed quæ prorſus in ſubſtantia permaneret. Hæc igitur in Chriſto perſonæ vnitas nequaquam poſt virginis partum, ſed in ipſo virginis vtero compacta atque perfecta eſt. Vehementer etenim præcauere debemus, vt Chriſtum non modo vnum, ſed etiam ſemper vnum confiteamur:

quia

quia intolerãda blaſphemia eſt, vt etiáſi nunc eum vnum iam eſſe cõcedas, aliquando tamẽ non vnum, ſed duos fuiſſe contendas, vnum ſcilicet poſt tẽpus baptiſmatis, duos vero ſub tempore natiuitatis. Quod immenſum ſacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, niſi vnitum hominẽ deo, ſed vnitate perſonæ, nõ ab aſcenſu vel reſurrectione, vel baptiſmo, ſed iam in matre, iam in vtero, iam denique in ipſa virginali conceptione fateamur. propter quam perſonæ vnitatem indifferenter atque promiſcue, & quæ dei ſunt propria tribuuntur homini, & quæ carnis propria adſcribuntur deo. Inde eſt enim quod diuinitus ſcriptum eſt; & filium hominis deſcendiſſe de cœlo, & dominum maieſtatis crucifixum in terra: Inde etiã vt carne domini facta, carne domini creata, ipſum verbum dei factum, ipſa ſapientia dei impleta, ſciẽtia creata dicatur, ſicut in præſẽtia manus ipſius & pedes foſſi eſſe referũtur. Per hanc, inquam, perſonæ vnitatẽ, illud quoque ſimilis myſterij ratione perfectum eſt, vt carne verbi ex integra matre naſcẽte, ipſe deus verbũ natus ex virgine catholiciſſime credatur, impijſſime denegetur. quæ cũ ita ſint, abſit vt quiſquam ſanctam Mariam diuinæ gratiæ priuilegiis vt ſpeciali gloria fraudare cone-

tur: eſt enim ſingulari quodã Domini ac Dei noſtri, filij autẽ ſui munere veriſſime ac beatiſſime θεότοκος coĩ fitẽda. Sed nõ eo more θεότοκος, quo impia quædã hæreſis ſuſpicatur, quę adſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicẽdam, quod eum ſcilicet peperit hominem, qui poſtea factus eſt Deus, ſicut dicimus preſbyteri matrem, aut Epiſcopi matrem, nõ iam presbyterum aut Epiſcopũ pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita inquã ſancta Maria θεότοκος, ſed ideo potius, quoniam vt ſupra dictum eſt, iam in eius ſacrato vtero ſacroſanctũ illud myſterium perpetratũ eſt, quod propter ſingularem quandam atque vnicam perſonæ vnitatẽ, ſicut verbum in carne caro, ita homo in deo Deus eſt. Sed iam ea quæ de ſupra memoratis hæreſibus, vel de catholica fide breuiter dicta ſunt, renouãdæ cauſa memoriæ breuius ſtrictiúſque repetamus, quo ſcilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Fotino non recipienti plenitudinem trinitatis, & Chriſtum hominem tantummodo ſolitarium prædicãti. Anathema Apollinari, adſerenti in Chriſto conuerſæ diuinitatis corruptionem & auferenti perfectæ humanitatis

proprietatem. Anathema Neſtorio, negāti ex virgine Deū natum, adſerenti duos Chriſtos, & exploſa trinitatis fide quaternitatem nobis introducēti. Beata verò catholica eccleſia, quæ vnum Deum in trinitatis plenitudine, & item trinitatis æqualitatem in vna diuinitate veneratur, vt neque ſingularitas ſubſtantiæ perſonarum confundat proprietatem, neque itē trinitatis diſtinctio vnitatem ſeparet deitatis. Beata inquā eccleſia, quę in Chriſto duas veras perfectáſque ſubſtantias, ſed vnā Chriſti credit eſſe perſonam, vt neque naturarum diſtinctio vnitatē perſonæ diuidat, neque item perſonæ vnitas differentiam confundat ſubſtantiarum. Beata, inquam, eccleſia, quæ vt vnum ſemper Chriſtum & eſſe & fuiſſe fateatur, vnitum hominem Deo non poſt partum, ſed iam in ipſo matris vtero cōfitetur. Beata, inquam, eccleſia, quæ Deum factum hominem nō cōuerſione naturæ, ſed perſonæ, ratione intelligit: perſonæ autem non ſimulatoriæ & trāſeuntis, ſed ſubſtātiuæ ac permanentis. Beata, inquam, eccleſia, quæ hanc perſonæ vnitatem tantam vim habere prædicat, vt propter eam miro ineffabilíque myſterio & diuina homini, & Deo adſcribat humana. Nam propter eam & hominem de cœlo ſecundum Deum

deſcendiſſe non abnegat, & deum ſecundum hominem credit in terra factum, paſſum, & crucifixum. Propter eam denique & hominē Dei filium, & Deum filium virginis confitetur. Beata igitur ac veneranda, benedicta & ſacroſancta, & omnino ſupernæ illi angelorū laudationi comparanda confeſſio, quæ vnum Dominum Deum trina ſanctificatione glorificat. Idcirco etenim vel maxime vnitatem Chriſti prædicat, ne myſterium trinitatem excedat. Hæc in excurſu dicta ſint, aliâs ſi Deo placuerit, vberius tractanda & explicanda. Nunc ad propoſitum redeamus: Dicebamus ergo in ſuperiorib. quod in eccleſia Dei tentatio eſſet populi, error magiſtri: & tanto maior tentatio, quanto ipſe eſſet doctior qui erraret. Quod primum ſcripturæ auctoritate, deinde eccleſiaſticis docebamus exemplis, eorum ſcilicet commemoratione, qui cum aliquandiu ſanæ fidei forēt habiti, ad extremū tamen aut in alienam decidiſſent ſectam, aut ipſi ſuam hæreſim condidiſſent. Magna profecto res, & ad diſcendum vtilis, & recolendū neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illuſtrare atque inculcare debemus, vt omnes ferè catholici nouerint ſe cum eccleſia doctores recipere, non cum doctori-

bus eccleſiæ fidem deſerere debere. Sed ego ita
arbitror, quod cũ multos in hoc tentandi ge-
nere proferre valeamus, nemo penè ſit, qui
Origenis tentationi valeat comparari, in quo
plura adeo præclara, adeo ſingularia, adeo mi-
ra exiterũt, vt inter initia habendã cunctis ad-
ſertionibus eius fidem, quiuis ille facile iudica-
ret. Nam ſi vita facit auctoritatem, magna illi
induſtria, magna pudicitia, patientia, tolerãtia.
Si gens vel eruditio, quid eo nobilius, qui pri-
mum in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata
martyrio? Deinde pro Chriſto nõ ſolũ patre,
ſed omni facultate priuatus, tantum inter ſan-
ctæ paupertatis profecit anguſtias, vt pro no-
mine dominicæ confeſſionis ſæpius, vt ferũt,
adfligeretur. Neque vero hæc in illo ſola erãt,
quæ cuncta poſtea tentationi forent, ſed tanta
etiam vis ingenij tam profũdi, tam acris, tam
elegantis, vt omnes penè multum longéque
ſuperaret: tanta doctrinæ ac totius eruditionis
magnificentia, vt pauca forent diuinæ, penè
fortaſſe nulla humanæ Philoſophiæ, quæ non
penitus adſequeretur: cuius ſciẽtiæ cum Græca
non cederẽt, Hebræa quoque elaborata ſint.
Eloquentiam vero quid memorem? cuius fuit
tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, vt
mihi ex ore ipſius non tam verba, quàm mel-

la quædan fluxiſſe videantur. Quæ nō ille perſualu difficilia diſputandi viribus elimpidauit? Quæ factu ardua non vt facillima viderentur effecit? Sed forſitan argumentorum tantummodo nexibus adſertiones ſuas texuit. Imò plane nemo vnquam magiſtrorum fuit, qui pluribus diuinæ legis vteretur exemplis. Sed credo pauca conſcripſit. Nemo mortalium plura, vt mihi ſua omnia non ſolum non perlegi, ſed ne inueniri quidem poſſe videantur. Cui ne quidquam ad ſcientiæ inſtrumenta deeſſet, etiam plenitudo ex abūdauit ætatis. Sed forſitan diſcipulis parum felix. Quis vnquam felicior? Nempe in numeri ex ſinu ſuo doctores, innumeri ſacerdotes, confeſſores & martyres extiterunt. iam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religioſior ex vltimis mūdi partibus aduolauit? Quis Chriſtianorū non penè vt Prophetam? quis Philoſophorum non vt magiſtrum veneratus eſt? Quàm autem non ſolum priuatæ conditioni, ſed ipſi quoque fuerit reuerendus imperio, declarant hiſtoriæ quæ eū à matre Alexandri imperatoris accitum ferūt, cœleſtis vtique ſapientiæ merito, cuius & ille gratia, & amore illa flagrabat. Sed & eiuſdem

Epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad Philippum imperatorē, qui primus Romanorum principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani magiſterij auctoritate conſcripſit: de cuius incredibili quadam ſcientia, ſi quis referentibus nobis Chriſtianum non accipit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis gentilem recipiat confeſſionē. Ait namque impius ille Porphyrius, excitum ſe fama ipſius Alexandriam puerum ferè perrexiſſe, ibíque eum vidiſſe iam ſenem, ſed plane talem tantúmque qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet. Dies me citius defecerit, quàm ea quæ in illo viro præclara extiterunt, vel ex minima ſaltem parte perſtringam, quæ tamen omnia non ſolùm ad religionis gloriam, ſed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quiſque tanti ingenij, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum aut facile deponeret, ac non illa potius vteretur ſententia, ſe cum Origine errare malle, quàm cum alijs vera ſētire? Et quid plura? eò res decidit, vt tātæ perſonæ, tāti doctoris, tanti prophetæ nō humana aliqua, ſed vt exitus docuit, nimium periculoſa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quam ob rem hic idem Origenes tantus ac talis dū gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio

ſuo nimium indulget, ſibíque ſatis credit, cum parui pendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum eccleſiaſticas traditiones & veterũ magiſteria contemnens, quædam ſcripturarũ capitula nouo more interpretatur, meruit vt de ſe quoque eccleſiæ Dei diceretur: Si ſurrexerit in medio tui Propheta. Et paulo poſt: Non audies inquit verba Prophetæ illius. Et item: Quia, inquit, tentat vos Dominus deus veſter, vtrum diligatis eum an non. Vere non ſolum tentatio, ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi atque in ſe pendentem eccleſiam admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, cõuerſationis & gratiæ nihil de ſe ſuſpicantem, nihil verentem, ſubito à veteri religione in nouam profanitatem ſenſim paulatímque traducere. Sed dicet aliquis, corruptos eſſe Origenis libros. Non reſiſto, quin potius & malo: Nam id à quibuſdam & traditum, & ſcriptum eſt, non catholicis tantum, verũ etiam hæreticis. Sed illud eſt quod nunc debemus aduertere, & ſi non ipſum, libros tamen ſub nomine ſuo editos magnæ eſſe tentationi, qui multis blaſphemiarum vulneribus ſcatentes, nõ vt alieni, ſed quaſi ſui & leguntur & amantur: vt & ſi in errore concipiendo Origenis non fuit ſenſus,

ad errorem

ad errorem tamē perſuadendum Origenis au-
ctoritas valere videatur. Sed & Tertulliani
quoque eadem ratio eſt. nam ſicut ille apud
Græcos, ita hic apud Latinos noſtrorū om-
niū facile princeps iudicandus eſt. Quid enim
hoc viro doctius? quid in diuinis atque huma-
nis rebus exercitatius? Nempe omnem philo-
ſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas,
auctores, ad ſertorésque ſectarum, omnésque
eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtu-
diorum varietatem mira quadam mētis capa-
citate complexus eſt: Ingenio verò nónne tā
graui ac vehemēti excelluit, vt nihil ſibi pænè
ad expugnandum propoſuerit, quod non aut
acumine inruperit, aut pondere eliſerit? Iam
porrò orationis ſuę laudes quis exſequi valeat?
quæ tanta, neſcio qua rationum neceſſitate cō-
ſerta eſt, vt ad conſenſum ſui, quos ſuadere nō
potuerit, impellat: cuius quot pænè verba, tot
ſententiæ ſunt: quot ſenſus, tot victoriæ. Sciūt
hoc Martiones, Apelles, Praxeæ, Hermoge-
nes, Iudæi, Gentiles, Gnoſtici, cæteríque quo-
rū ille blaphemias multis ac magnis volumi-
num ſuorum molibus, velut quibuſdam ful-
minibus euertit. Et tamen hic quoque poſt
hæc omnia, hic inquam Tertullianus catholi-
ci dogmatis, id eſt vniuerſalis ac vetuſtæ fidei

parú tenax, ac deſertior multo quàm fidelior, mutata deinceps ſententia fecit ad extremũ, quod de eo beatus confeſſor Hilarius quodã loco ſcribit: Sequenti, inquit, errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatẽ. Et fuit ipſe quoque in eccleſia magna tẽtatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Moyſi præceptum exurgẽtis in eccleſia nouellas Montani furias, & inſana illa inſanarum mulierum nouicij dogmatis ſomnia, veras prophetias aſſeuerando, meruit vt de ſe quoq; & ſcripturis ſuis diceretur: Si ſurrexit in medio tui Propheta. Et mox: Nõ audies verba Prophetæ illius. Quare? Quia tẽtat vos Dominus veſter, vtrũ diligatis eum an non. His igitur tot ac tantis cæteríſque eiuſmodi eccleſiaſticorum exemplorum molibus euidenter aduertere, & ſecundum Deuteronomij leges luce clarius intelligere debemus, quod ſi quando aliquis eccleſiaſticus magiſter à fide aberrauerit, ad tentationem id noſtram fieri prouidentia diuina patiatur, vtrum diligamus Deum an non in toto corde, & in tota anima noſtra. Quæ cum ita ſint, ille eſt verus, & germanus, & catholicus, qui veritatem Dei, qui eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui catholicæ fidei

nihil præponit, non hominis cuiuſpiam au-
ctoritatem, non amorem, non ingenium, nō
eloquentiam, non philoſophiam: ſed hæc cū-
cta deſpiciens, & in fide fixus, ſtabilis perma-
nens, quicquid vniuerſaliter antiquitus eccle-
ſiam catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolū
ſibi tenendum credendúmque decernit. Quic-
quid verò ab aliquo deinceps vno præter om-
nes, vel contra omnes ſanctos nouum & inau-
ditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionē,
ſed ad tentationem potius intelleget pertine-
re, tum præcipue beati Apoſtoli Pauli erudi-
tus eloquijs, hoc eſt enim quod in prima ad
Corinthios ſcribit: Oportet, inquit, & hæreſes
eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis. Ac ſi
diceret: Ob hoc, inquit, hæreſeon non ſtatim
diuinitus eradicantur auctores, vt probati ma-
nifeſti fiāt, id eſt, vt vnuſquiſque quàm tenax,
& fidelis, & fixus catholicæ fidei ſit amator ap-
pareat. Et reuera cum quæque nouitas ebullit,
ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leui-
tas palearum: tunc ſine magno molimine ex-
cutitur ab area, quod nullo pondere intra areā
tenebatur. Nanque alij ilico prorſus perauo-
lant, alij vero tantummodo excuſi, & perire
metuunt, & redire erubeſcunt, ſaucij, ſemine-
ces, ac ſemiuiui: quippe qui tantam veneni

hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec viuere ſinat. Heu miſeranda conditio .quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur? Núc etenim quà ventus impulerit incitato errore rapiuntur: núc in ſemetipſos reuerſi tanquam contrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione & ea quæ incerta videntur, adprobant:nunc irrationali metu etiam quæ certa ſunt,expaueſcunt, incerti quà eant, quà redeant, quid adpetant,quid fugiant, quid teneant,quid dimittant. Quæ quidem dubij & male penduli cordis adflictio diuina erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcirco etenim extra tutiſſimũ catholicæ fidei portũ diuerſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac pęnè enecantur procellis, vt excuſſa in altum elatum elatæ mentis vela deponát, quæ male nouitatum ventis expanderant, ſeſéque intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ matris reducant, & teneant: atque amaros illos turbulentóſque errorum fluctus, primitus reuomant, vt poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant bene quod didicerant non bene, & ex toto eccleſiæ dogmate quod intellectu capi poteſt, capiant: quod non poteſt, credant. Quæ cum ita ſint, iterum

atque iterum eadem mecum reuoluens & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorundã hominum væſaniam, tãtam excæcatæ mentis impietatem, tantum poſtremò errandi libidinem, vt contenti non ſint, tradita & recepta ſemel antiquitus credendi regula, ſed noua ac noua in diem quærant, ſempérque aliquid geſtiant religioni addere, mutare, detrahere: quaſi non cœleſte dogma ſit, quod ſemel reuelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici niſi aſſidua emendatione, imò potius reprehenſione non poſſet: cum diuina clament oracula: Ne transferas terminos quos poſuerunt patres tui. Et; Super iudicantẽ ne iudices: &; ſcindentẽ ſepem mordebit eũ ſerpens. & illud Apoſtolicum quo, omnes omnium hæreſeωn ſceleratę nouitates, velut quodam ſpiritali gladio ſæpe trũcatæ, ſempér que truncandæ ſunt: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcĩẽtiæ, quã quidã promittentes circa fidem exciderunt. Et poſt hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frõtis duritia, tanta impudentiæ incude, tanto adamãte pertinaciæ, qui tantis eloquiorũ cœleſtium molibus non ſuccumbant, tantis põderibus non fatiſcant, tantis malleis non cõ-

quaſſentur, tantis poſtremo fulminibus non conterantur: Deuita, inquit, profanas vocum nouitates: Non dixit antiquitates, non dixit vetuſtates. imò planè quid è contrario ſequeretur, oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenēda eſt antiquitas: & ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas. Et oppoſitiones, inquit, falſi nominis ſcientiæ. Vere falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, vt ignorantia ſcientię, & caligo ſerenitatis, & tenebrę luminis appellatione fucentur. Quam quidam, inquit, promittentes circa fidem exciderunt. Quid promittentes exciderunt? niſi nouam neſcio quam ignoratamq́ue doctrinam. Audias etenim quoſdā ipſorum dicere: Venite ô inſipientes & miſeri, qui vulgo catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero reuelata & oſtenſa eſt. ſed diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim vos. Et item: Cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne eccleſia ſciat: paucis nāque conceſſum eſt tanti myſterij capere ſecretum. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud Solomonis Prouerbia vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum? Qui eſt, inquit, veſtrum inſipientiſſimus, de-

uertat ad me. Inopes autem ſenſu exhortatur, dicens: Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. Quid deinde? At ille, inquit, neſcit, quomodo terrigenæ apud eam pereunt. Qui ſunt iſti terrigenæ? Exponat Apoſtolus: Qui circa fidem, inquit, exciderunt. Sed operæpretium eſt totum ipſū Apoſtoli capitulum diligentius pertractare. O Timothee, inquit, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. O, exclamatio iſta & præſcientię eſt pariter & charitatis: Præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis eſt hodie Timotheus, niſi vel generaliter vniuerſa eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus Præpoſitorum, qui integram diuini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel alijs infundere? Quid eſt depoſitū cuſtodi? Cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania, ſuper illud tritici bonū ſemē, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo. Depoſitum, inquit, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ: nō vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in

qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi, catholicæ fidei talentum, inuiolatum, illibatúmque conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia ſubijcias: nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam plane. O Thimothee, ô ſacerdos, ô tractator, ô doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina eſto ſpiritalis tabernaculi Beſeleheel, pretioſas diuiniti dogmatis gēmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente inluſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didiciſti doce, vt cum dicas noue, non dicas noua. Sed forſitan dicit aliquis: Nullus ne ergo in eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur plane & maximus: Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt vere profectus ſit ille fidei, non permutatio: ſi quidem ad

Exod.

profectū

profectum pertinet, vt in ſemetipſum vnaquæque res amplificetur? ad permutationem verò vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementérque proficiat tam ſingulorum, quàm omnium, tam vnius hominis, quàm totius eccleſiæ ætatum ac ſęculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia: ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eadémque ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multũ intereſt inter pueritię florem, & ſenectutis maturitatem, ſed ijdem ipſi fiunt ſenes, qui fuerãt adoleſcentes: vt quamuis vnius eiuſdémque hominis ſtatus habitúſque mutetur, vna tamen nihilominus eadémque natura, vna eadémq; perſona ſit. Parua lactentium membra magna iuuenum eadem ipſa ſunt, tamen quot paruolorũ artus, tot virorum: & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſeminis ratione proferta ſũt, vt nihil nouũ poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam ante latitauerat. Vnde non dubiũ eſt hanc eſſe legitimam & rectam proficiẽdi regulam,

hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem, ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præliciauerat. Quod ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, neceſſe eſt vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certe debilitetur: Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma, ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatúmque permanet. Et vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctíſque quaſi membris ac ſenſibus proprijs plenum atque perfectũ ſit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam definitionis ſuſtineat varietatem. Exempli gratia: Seuerũt maiores noſtri antiquitus in hac eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina, iniquum valde & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti ſubdititiũ zizaniæ legamus errorem. Quin potius hoc rectum & conſequens eſt, vt primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de incrementis triticeæ inſtitutionis, triticei quoque dogmatis

frugem demetamus: vt cum aliquid ex illis ſeminum primordijs acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur: nihil tamẽ de germinis proprietate mutetur, addatur licet ſpecies, forma, diſtinctio, eadem tamẽ cuiuſque generis natura permaneat. Abſit etenim, vt roſea illa catholici ſenſus plantaria in carduos ſpináſque vertantur. Abſit inquam, vt in iſto ſpiritali paradiſo, de cinnamomi, & balſami ſurculis, lolium repente, atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac eccleſia dei agricultura fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſeruetur; hoc idem flore ætate matureſcat, hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas eſt etenim vt priſca illa cœleſtis philoſophię dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas eſt vt comutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiãt licet euidentiam, lucem, diſtinctionem: ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem: Nam ſi ſemel admiſſa fuerit hęc impiæ fraudis licentia, horreo dicere quantũ excindendæ, atque abolendæ religionis periculum conſequatur: Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps aliæ & aliæ iam quaſi

ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingillatim partibus repudiandis, quid aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur? Sed & è contra, ſi nouitia veteribus, èxtranea domeſticis, & profana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in vniuerſũ neceſſe eſt, vt nihil poſthac apud eccleſiã relinquatur intactũ, nihil illibatũ, nihil integrũ, nihil immaculatũ, ſed ſit ibidẽ deinceps impiorũ ac turpiũ errorũ lupanar, vbi erat antea caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis. Sed auertat hoc à ſuorũ mẽtibus nefas, diuina pietas, ſitque hic potius impiorum furor. Chriſti verò eccleſia ſedula & cauta depoſitorũ apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non adponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena, ſed omni induſtria hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter ſapientérque tractando, ſi qua illa ſunt antiquitus informata, & inchoata, accuret, & poliat: ſi qua iam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet: ſi qua iam confirmata & definita, cuſtodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt, niſi vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur: quod antea lentius prædicabatur,

hoc idē poſtea inſtantius prædicaretur: quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſollicitius excoleretur. Hoc inquā ſemper, neque quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis catholica perfecit eccleſia, niſi vt quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum nouæ appellationis proprietate ſignādo. Sed ad Apoſtolum redeamus: O Timothee, inquit, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. Deuita, inquit, quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolum tactu, ſed etiam viſu afflatúque percutiant. Quid eſt deuitare? Cum huiuſmodi nec cibū ſumere. Quid eſt deuita? Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinā non adfert. Quam doctrinam, niſi catholicā, & vniuerſalem? & vnam eandémque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vſque in ſæcula ſine fine manſuram? Quid tum? Nolite, inquit, recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. qui enim dicit illi aue, communicat operi- *1 Timot.6*

bus eius malignis. Profanas inquit vocum nouitates. Quid eſt profanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab ecclesiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas? Profanas inquit vocum nouitates: Vocum id eſt, dogmatum, rerũ, ſentẽtiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ. Quę ſi recipiantur, neceſſe eſt vt fides beatorum patrum, aut tota, aut certe magna ex parte violetur: Neceſſe eſt vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, omnes clerici, leuitæ & ſacerdotes, tanta confeſſorum millia, tanti martyrũ exercitus, tanta vrbium, tãta populorũ celebritas & multitudo, tot inſulæ, prouinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus poſtremo iam pœnè terrarum orbis, per catholicam fidẽ Chriſto capiti incorporatus, tanto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet, pronũcietur. Profanas, inquit vocum nouitates deuita. Quas recipere atque ſectari nunquam catholicorum, ſemper verò hæreticorum fuit. Et reuera, quæ vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab eccleſiæ catholicę vniuerſatis & antiquitatis cõſenſione diſcreue-

rit? Quod ita eſſe luce clarius exempla demõſtrant. Quis enim vnquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſũpſit arbitrij, vt ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos ad iuuandum neceſſariam dei gratiã non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulũ eius CELESTIVM, reatu præuaricationis Adæ omne humanum genus denegauit adſtrictum? quis ante ſacrilegũ ARRIVM, trinitatis vnitatem diſcindere? quis ante ſceleratũ SABELLIVM, vnitatis trinitatem cõfundere auſus eſt? quis ante crudeliſſimum NOVATIANVM, crudelem deum dixit eò quod mallet mortem morientis, quàm vt reuertatur & viuat? Quis ante magum SIMONEM, apoſtolica diſtrictione percuſſum, à quo vetus ille turpitudinum gurges vſque in nouiſſimum PRICILLIANVM continua & occulta ſucceſſione manauit, auctorem malorum, id eſt, ſcelerum, impietatum, flagitiorúmque noſtrorum auſus eſt dicere creatorem Deum? Quippe quem adſerit talem hominum manibus ipſam ſuis creare naturam, quæ proprio quodã motu, & neceſſariæ cuiuſdam voluntatis impulſu nihil aliud poſſit, nihil aliud velit, niſi peccare, eò quod furijs vitiorum omnium exagitata & inflammata, in omnia turpitudinũ

barathra inexhauſta cupiditate rapiatur. Innumera ſunt talia, quæ breuitatis ſtudio prætermittimus, quibus tamē cunctis ſatis euidenter perſpicuéque monſtratur, hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolenne eſſe ac legitimum, vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò catholicorum hoc fortè proprium, depoſita ſanctorum patrum & cōmiſſa ſeruare, & damnare profanas nouitates, & ſicut dixit, atque iterum prædixit Apoſtolus: Si quis adnuntiauerit præterquam quod acceptum eſt, anathemate. Hic fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimonijs vtantur. Vtuntur plane, & vehementer quidem: nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos: ſiue priuatim, ſiue publice: ſiue in ſermonibus, ſiue in libris: ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege PAVLI SAMOSATENI opuſcula, PRISCILLIANI, EVNOMII, IOVINIANI, reliqua-

reliquarúmque peſtium, cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Teſtamenti ſententijs fucata & colorata ſit: Sed tãto magis cauendi & pertimeſcendi ſunt, quãto occultius ſub diuinæ legis vmbraculis latitãt: Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cœleſtis eloquij, velut quodam aromate aſpergũt, vt ille qui humanum facile deſpiceret errorem, diuina nõ facile cõtemnat oracula. Itaque faciunt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumlinũt, vt incauta ætas cum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè vbi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. Inde denique & Saluator clamabat: Attendite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouiũ, ab intus autem ſunt lupi rapaces. Quid eſt veſtitus ouium? niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia, quæ idem ouili quadam ſynceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam de-

texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi? qui caulas eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaqua poſſunt dilacerant. Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut quibuſdã velleribus obuoluunt, vt cum quiſque lanarum molliciem præſenſerit, nequaquam aculeos dentiũ pertimeſcat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Id eſt, cum cœperint diuinas illas voces non iam proferre tantum, ſed etiam exponere, nec adhuc iactare ſolum, ſed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligetur, tunc nouitium virus exhalabitur, tunc profanæ nouitates aperientur, tunc primum ſcindi ſepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc catholicam fidem cædi, tunc ecclſiaſticũ dogma lacerari. Tales erãt ij, quos
2.Cor.11. percutit Apoſtolus Paulus in ſecũda ad Corinthios dicens: Nam eiuſmodi, inquit, Pſeudoapoſtoli, operarij ſubdoli, transfigurãtes ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt trãsfigurãtes ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebãt Apoſtoli diuinæ legis exẽpla, proferebãt & illi: proferebãt A-

poſtoli Pſalmorũ auctoritates, proferebã & illi: proferebãt Apoſtoli ſentẽtias Prophetarũ, & illi nihilominus proferebãt. Sed cum ea quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tũc infucati à fucatis, tũc recti à peruerſis, tũc poſtremo veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis, diſcernebantur. Et non mirũ, inquit, ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur, ſicut miniſtri iuſtitiæ: Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunque vel Pſeudoapoſtoli, vel Pſeudoprophetæ, vel Pſeudodoctores diuinæ legis ſentẽtias proferunt, quibus male interpretatis errores ſuos adſtruere conentur, non dubium eſt, quin auctoris ſui callida machinamenta ſectentur: quæ ille nunquam profecto comminiſceretur, niſi ſciret omnino nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quàm vt vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorũ verborum prætendatur auctoritas. Sed dicet aliquis: Vnde probatur quia ſacræ legis exemplis diabolus vti ſoleat? Legat Euangelia, in quibus ſcribitur: Tũc adſumpſit illũ diabolus, ideſt, Dominum ſaluatorem: & ſtatuit illum ſupra pinnã templi, & dixit ei: Si filius Dei es,

mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: quod
Matth.4. angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollãt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum dominum maieſtatis ſcripturarum teſtimoniis adpetiuit? Si, inquit, filius dei es, mitte te deorſum. Quare? ſcriptum eſt enim inquit. Magnopere nobis doctrina loci iſtius attendenda atque retinenda eſt, vt tanto euangelicæ auctoritatis exemplo, quandò aliquos apoſtolica, ſeu prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minime dubitemus: Nam ſicut tunc caput capiti, ita nũc quoque mẽbra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli membris Chriſti: perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæretici poſtremo catholicis. Sed quid tandẽ dicunt? Si, inquit, filius dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, ſi filius eſſe vis dei, & hæreditatẽ regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius, te ſublimis eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac ſi quis interroget quempiã hæreticorum ſibi talia perſuadentem, vnde probas? vnde doces, quod eccleſiæ catholicæ vniuerſalem & antiquam fidem dimittere debeam?

Statim ille: Scriptum eſt enim. Et continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis ex arce catholica in hæreſeωs barathrum infelix anima præcipitetur. Iam verò illis quæ ſequuntur promiſſionibus miro modo in cautos homines hæretici decipere conſuerũt: Audent etenim polliceri & docere, quod in ecclefia ſua, id eſt, in cõmunionis ſuæ cõuenticulo magna & ſpecialis ac plane perſonalis quædam ſit dei gratia, adeo vt ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio, ſine vlla induſtria, etiã ſi nec petant, nec quærant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent; tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt angelicis euecti manibus, id eſt, angelica protectione ſeruati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedẽ ſuum, id eſt, nunquam ſcandalizari. Sed dicit aliquis, ſi diuinis eloquijs, ſententijs, promiſſionibus, & diabolus & diſcipuli eius vtuntur, quorum alij ſunt Pſeudoapoſtoli, alij Pſeudoprophetæ, & Pſeudomagiſtri, & omnes ex toto hæretici, quid facient catholici homines, & matris eccleſiæ filij? quo nam modo in ſcripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt,

facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorij illius ſanctos & doctos viros tradidiſſe nobis ſcripſimus, vt diuinum canonem ſecundum vniuerſalis eccleſiæ traditiones, & iuxta catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item catholicæ apoſtolicæque eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Et ſi quando pars contra vniuerſitatem, nouitas contra vetuſtatem, vnius vel paucorum errantium diſſenſio contra omnium vel certe multo plurium catholicorum conſenſionem rebellauerit, præferant portionis corruptioni, vniuerſitatis integritatem: inque eadem vniuerſitate nouitatis profanitati, antiquitatis religionem: Itémque in ipſa vetuſtate vnius ſiue pauciſſimorum temeritati, primũ omnium generalia ſi qua ſunt vniuerſalis Cõcilij decreta præponant: tunc deinde ſi id minus eſt, ſequantur quod proximum eſt, multorum atque magnorum conſentientes ſibi ſententias magiſtrorum, quibus, adiuuante domino, fideliter, ſobrie, ſollicite obſeruatis, non magna difficultate noxios quoſque exſurgentium hæreticorum deprehendemus errores. Hic iam conſequens eſſe video, vt exemplis demonſtrem quo nã modo pro-

ſanæ hæreticorum nouitates, prolatis atque collatis veterum magiſtrorum concordantibus ſibimet ſententijs, & deprehendantur & condemnentur: quæ tamen antiqua ſanctorũ patrum conſenſio, non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certe præcipue in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtigãda eſt, & ſequẽda. Sed neque ſẽper, neq; omnes hæreſes hoc modo impugnãdæ ſunt, ſed nouitiæ recentéſque tantúmmodo, cum primũ ſcilicet exoriũtur, anteq̃uã inſalſare vetuſtę fidei regulas, ipſius temporis vetantur anguſtijs, ac priuſquam manante latius veneno maiorum volumina vitiare conentur: Cæterũ dilatatæ & inueteratæ hæreſes nequaquam hac via adgrediendæ ſunt, eò quod prolixo temporum tractu longa his furandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideo quaſcunque illas antiquiores, vel ſchiſmatum vel hereſeon profanitates, nullo modo nos oportet, niſi aut ſola, ſi opus eſt, ſcripturarum auctoritate conuincere, aut certe iam antiquitus vniuerſalibus ſacerdotum catholicorum Concilijs conuictas damnatáſque vitare. Itaque cum primũ mali cuiuſque erroris putredo erũpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædã ſacræ

legis verba furari, eáque fallaciter & fraudulenter exponere, ſtatim interpretando canoni maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunque exurget nouitiũ, ideóque profanum, & abſque vlla ambage prodátur, & ſine vlla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat patrum ſententiæ cõferendæ ſunt, qui in fide & communione catholica ſancte, ſapienter, cõſtanter viuentes, docẽtes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes vel plures vno eodémque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeuerãter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorũ Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo ratóque habeatur: Quicquid verò, quamuis ille ſáctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis cõfeſſor & martyr, præter omnes, aut etiam cõtra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas à communis & publicæ, generalis ſententiæ auctoritate ſecretũ ſit, nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegã hæreticorum & ſchiſmaticorũ conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium

ſecte-

ſectemur errorẽ: quorũ beatorũ patrũ ſanctũ catholicúmque conſenſum, ne quis ſibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apoſtolus: Et quoſdam quidem poſuit deus in eccleſia, primùm Apoſtolos: Quorum ipſe vnus erat: ſecundo Prophetas: qualem in Actibus Apoſtolorum legimus Agabum: tertio Doctores, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in eccleſia dei diuinitus per tempora & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu catholici dogmatis vnũ aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed deum: à quorum veridica vnitate ne quis diſcrepet, impenſius obteſtatur idem Apoſtolus dicens: Obſecro autẽ vos Fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Quod ſi quis ab eorum ſententiæ communione deſciuerit, audiet illud eiuſdẽ Apoſtoli: Nõ eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Id eſt, non eius, qui à conſentiendi vnitate defecerit, ſed eorum qui in conſentiendi pace permanſerint: Sicut in omnibus, inquit, eccleſiis ſanctorum doceo,

id eſt, catholicorum, quæ ideo ſanctæ ſunt, quia in fidei communione perſiſtunt. Et ne quis forſitan prætermiſſis cęteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulo poſt ait: An à vobis, inquit, verbum dei proceſſit, aut in vos ſolos deuenit? Et ne hoc quaſi perfunctorie acciperetur, adiecit: Si quis, inquit, videtur propheta eſſe aut ſpiritalis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia domini ſunt mandata, quæ vtique mandata, niſi, vt ſi quis eſt Propheta, aut ſpiritalis, id eſt, ſpiritalium rerum magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & vnitatis cultor exiſtat, vt ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab vniuerſorum ſenſibus non recedat: Cuius rei mãdata qui ignorat, inquit, ignorabitur, id eſt, qui aut neſcita non diſcit, aut ſcita contemnit, ignorabitur, hoc eſt, indignus habebitur qui inter vnitos fide & exæquatos humilitate diuinitus reſpiciatur: quo malo neſcio an quicquam acerbius cogitari queat. Quod tamen iuxta Apoſtolicã comminationẽ Pelagiano illi proueniſſe cernimus Iuliano, qui ſe collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit. Sed iam tempus eſt vt pollicitũ proferamus exemplum, vbi & quomodo ſanctorum patrum ſententiæ congregatæ ſint, vt

ſecundum eas ex decreto atque auctoritate Concilij, eccleſiaſticæ fidei regula figeretur. Quod quo cõmodius fiat, hic ſit iã huius Cõmonitorij modus, vt cætera quæ ſequuntur ab alio ſumamus exordio.

Secundum Commonitorium interlapſum eſt, neque ex eo amplius quicquam, quàm poſtrema particula remanſit, id eſt, ſola recapitulatio, quæ & ſubiecta eſt.

* * * *

QVæ cũ ita ſint, iam tempus eſt vt ea quæ duobus ijs Commonitorijs dicta ſunt, in huius ſecundi fine recapitulemus. Diximus in ſuperioribus hanc fuiſſe ſemper & eſſe hodiéque catholicorum conſuetudinem, vt fidem veram duobus ijs modis adprobent: primum diuini canonis auctoritate: deinde eccleſiæ traditione: non quia canon ſolus non ſibi ad vniuerſa ſufficiat, ſed quia verba diuina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroréſque concipiant. Atque ideo neceſſe ſit, vt ad vnam eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur: in ijs duntaxat præcipue quæſtionibus, quib. totius catholici dogmatis fundamenta

nituntur. Item diximus, in ipſa rurſus eccleſia vniuerſitatis pariter & antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere, ne aut ab vnitatis integritate in partē ſchiſmatis abrumpamur, aut à veſtutatis religione in hæreſeon nouitates præcipitemur. Item diximus, in ipſa eccleſiæ vetuſtatę duo quædam vehementer ſtudioſéque obſeruanda, quibus penitus inhærere deberent quicunque hæretici eſſe nollent: primùm ſi quid eſſet antiquitus ab omnibus eccleſiæ catholicæ ſacerdotibus vniuerſalis Cōcilij auctoritate decretum. Deinde ſi qua noua exſurgeret quęſtio, vbi id minime reperiretur, recurrendum ad ſanctorum patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus & locis in vnitate communionis & fidei permanentes, magiſtri probabiles extitiſſent. Et quicquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id eccleſiæ verum & catholicum abſque vllo ſcrupulo iudicaretur. Quod ne præſumptione magis noſtra quàm auctoritate eccleſiaſtica promere videremur, exemplum adhibuimus ſancti Concilij, quod ante triennium fermè in Aſia apud Ephyſum celebratum eſt, viris clariſſimis Baſſo Antiochóque Conſulibus. Vbi cū de ſanciēdis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitā profa-

na nouitas in modũ perfidiæ Ariminẽſis obreperet vniuerſis ſacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerãt, hoc catholiciſſimũ, fideliſſimum atque optimum factu viſum eſt, vt in medium ſanctorum patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios martyras, alios confeſſores, omnes verò catholicos ſacerdotes fuiſſe, & parmanſiſſe conſtaret: vt ſcilicet rite atque ſoléniter ex eorum cõſenſu atq; decreto antiqui dogmatis religio cõfirmaretur, & profanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur. Quod cum ita factũ foret, iure meritóque impius ille NESTORIVS, catholicæ vetuſtati contrarius, beatus vero CYRILLVS ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus iudicatus eſt. Et vt ad fidem rerum nihil deeſſet, etiã nomina & numerum, licet ordinem fuiſſemus obliti, edidimus eorum patrum, iuxta quorũ ibidem concinentem ſibi cõcordémque ſententiam, & legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & diuini dogmatis regula conſtabilita eſt: Quos ad confirmandam memoriam hic quoque recẽſere nequaquam ſuperfluum eſt. Sunt ergo ij viri, quorum in illo Concilio, vel tanquam iudicum, vel tanquam teſtium ſcripta recitata ſunt. Sanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus, doctor præſtantiſſimus &

martyr beatiſſimus: Sanctus Athanaſius eiuſdem ciuitatis anteſtis magiſter fideliſſimus & confeſſor eminentiſſimus: Sanctus Teophilus eiuſdem item vrbis Epiſcopus, vir fide, vita, ſcientia ſatis clarus: cui ſucceſſit venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam inluſtrat eccleſiam. Et ne forſitan vnius ciuitatis ac prouinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita ſunt etiam illa Cappadociæ lumina, ſanctus Gregorius Epiſcopus & Confeſſor, de Nanzãdo vel Nazabos: Sanctus Baſilius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus & Confeſſor: Sanctus item alter Gregorius Nyſenus Epiſcopus, fidei, cõuerſationis, integritatis & ſapientiæ merito fratre Baſilio digniſſimus. Sed ne ſola Græcia aut Oriens tantũ, verum etiam Occidentalis & Latinus orbis ita ſemper ſenſiſſe adprobaretur, lectæ ſunt quoque ibi quædam ad quoſdam Epiſtolæ, ſancti Felicis martyris, & ſancti Iulij vrbis Romæ Epiſcoporum. Et vt non ſolum caput orbis, verum etiam latera illi iudicio teſtimonium perhiberent, adhibitus eſt à meridie beatiſſimus Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis & martyr. A ſeptẽtrione ſanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. Ii ſunt igitur omnes apud Ephyſum ſacrato decalogi numero magiſtri, Cõſiliarij teſtes iu-

dicésque producti, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, conſilium frequens, credens teſtimonio, obediens iudicio, abſque tædio, præſumptione, & gratia de fidei regulis pronuntiauit. Quamquã multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, ſed neceſſe non fuit: quia neque multitudine teſtium negotij tempora occupari oportebat, & decem illos nõ aliud ferè ſenſiſſe, quàm cæteros omnes collegas ſuos nemo dubitabat. Poſt quæ omnia adiecimus etiam beati Cyrilli ſententiam, quæ geſtis ipſis eccleſiaſticis continetur: Nanque cum lecta eſſet ſancti Capreoli Epiſcopi Cartaginienſis Epiſtola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, niſi vt expugnata nouitate, antiquitas defenderetur, ita Epiſcopus Cyrillus prolocutus eſt, & definiuit: quod hic quoque interponere non ab re videtur: ait enim in fine geſtorum: Et hæc, inquit, quæ lecta eſt epiſtola, venerãdi & multum religioſi Epiſcopi Carthaginiẽſis, Capreoli fidei geſtorum inſeretur, cuius aperta ſententia eſt: vult enim antiquæ fidei dogmata confirmari, nouitia verò & ſuperflue adinuẽta, & impie promulgata reprobari atque damnari: Omnes Epiſcopi adclamauerunt, hæ omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt. Quæ tandem omnium

voces, atque omnium vota, niſi vt quod erat antiquitus traditum teneretur? quod adinuẽtum nuper, exploderetur? Poſt quæ admirati ſumus & prædicauimus, quanta Concilij illius fuerit humilitas & ſanctitas, vt tot numero ſacerdotes, pœnè ex maiore parte metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, vt prope omnes poſſint de dogmatibus diſputare: Quibus propterea ipſa in vnum congregatio audendi ab ſe aliquid & ſtatuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen nouarent, nihil præſumerent, nihil ſibi penitus arrogarent; ſed omnimodis præcauerẽt, ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à patribus non accepiſſent. Et non ſolum in præſenti rem bene diſponerent, verum, etiam poſt futuris exempla præberent, vt & ipſi ſcilicet ſacratæ vetuſtatis dogmata colerent: profanæ vero nouitatis ad inuenta damnarent. Inuecti ſumus etiam in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quod ſacram ſcripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicũque ante ſe magiſterij munere præditi diuina eloquia tractauiſſent: vniuerſos ſcilicet ſacerdotes, vniuerſos confeſſores & martyras, quorum alij explanaſſent Dei legem, alij vero explanantibus conſenſiſſent, vel credidiſſent.

Totam

Totam poſtremo etiam nunc errare, & ſemper erraſſe adſeruerat et eccleſiam, quæ, vt ipſi videbatur, ignaros, erroneóſque doctores & ſecuta eſſet, & ſequeretur. Quæ omnia licet cumulate abundéque ſufficerent ad profanas quaſque nouitates obruendas & extinguēdas, tamen ne quid deeſſe tantæ plenitudini videretur, ad extremum adiecimus geminam apoſtolicæ ſedis auctoritatem, vnam ſcilicet ſancti papæ Syſti, qui nunc Romanam eccleſiam venerandus inluſtrat: alteram deceſſoris ſui beatæ memoriæ papæ CELESTINI, quā hic quoque interponere neceſſariū iudicauimus. Ait itaque ſanctus papa Syſtus in Epiſtola, quam de cauſa Neſtorij Antiocheno miſit Epiſcopo: Ergo, inquit, quia, ſicut ait Apoſtolus; Fides vna eſt, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Quæ ſunt tandem illa credēda & dicenda? ſequitur, & ait: Nihil vltra, inquit, liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati: Perſpicua maiorum fides & credulitas, nulla cœni permixtione turbetur: Omnino apoſtolice, vt maiorum credulitatē perſpicuitatis lumine ornaret, nouitias vero profanitates cœni permixtione deſcriberet. Sed & ſanctus papa Celeſtinus, pari modo eadémque ſententia: Ait

enim in Epiſtola, quam Gallorũ ſacerdotibus
miſit, arguens eorum conniuentiam, quod
antiquam fidem ſilentio deſtituentes, profa-
» nas nouitates exſurgere paterentur, Merito in-
» quit, cauſa non reſpicit, ſi ſilentio foueamus
» errorem. Ergo corripiantur huiuſmodi, non
» ſit ijs liberum habere pro voluntate ſermonẽ.
» Hic aliquis fortaſſe addubitet, qui nam ſint il-
li, quos habere prohibeat liberum pro volun-
tate ſermonem, vetuſtatis prædicatores, an no-
uitatis adinuentores. Ipſe dicat, & dubitatio-
nem legentium ipſe diſſoluat: Sequitur enim:
» Deſinat, inquit, ſi ita res eſt; id eſt, ſi ita eſt, vt
» apud me quidam vrbes & prouincias veſtras
» criminantur, quod eas quibuſdam nouitati-
» bus conſentire noxia diſſimulatione faciatis;
» Deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere
» nouitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cæle-
» ſtini beata ſententia, vt non vetuſtas ceſſaret
obruere nouitatem, ſed potius nouitas deſine-
ret inceſſere vetuſtatem. Quibus apoſtolicis
catholicíſque decretis quiſquis refragatur, in-
ſultet primum omnium neceſſe eſt memoriæ
ſancti Cęleſtini, qui ſtatuit vt deſineret inceſ-
ſere nouitas vetuſtatem: deinde irrideat de-
finita ſancti Syſti, qui cenſuit ne vltra quic
quam liceat nouitati, quia nihil addi conuenit

vetuſtati:Sed & beati Cyrilli ſtatuta condemnat, qui venerãdi Capreoli zelum magna prædicatione laudauit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet; nouitia vérò adinuenta damnari. Ephyſiam quoque Synodum, id eſt, totius pœnè Orientis ſanctorum Epiſcoporum iudicata proculcet, quibus diuinitus placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacrata ſibíque in Chriſto conſentiens ſanctorum patrum tenuiſſet antiquitas, quíque etiam vociferantes & acclamantes, vno ore teſtificati ſunt, has eſſe omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes cenſere, vt ſicut vniuerſi ferè ante Neſtorium hæretici contemnentes vetuſtatem, & adſerentes nouitatem damnati forent; ita ipſe quoque Neſtorius auctor nouitatis, & impugnator vetuſtatis condemnaretur. Quorum ſacroſancta & cœleſtis gratiæ munere inſpirata conſenſio ſi cui diſplicet, quid aliud ſequitur, niſi vt profanitatē Neſtorij adſerat non iure damnatam? Ad extremũ quoque vniuerſam Chriſti eccleſiam, & magiſtros eius Apoſtolos & Prophetas, præcipuéque tamen beatum Apoſtolum Paulũ, velut quædã purgamenta cõtemnat: illã, quod à religione colēdæ, & excolēdę ſemel

tibi traditæ fidei nunquam receſſerit: illum vero, qui ſcripſerit: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. Et item: Si quis vobis adnũtiauerit præterquã quod accepiſtis, anathema ſit. Quod ſi neque apoſtolica definita, neque eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſecroſanctam vniuerſitatis & antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper hæretici, & ad extremum PELAGIVS, Celeſtius, Neſtorius iure meritóque damnati ſunt, neceſſe eſt profecto omnibus deinceps catholicis, qui ſeſe eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, vt ſanctæ ſanctorum patrum fidei inhæreant, adglutinẽtur, immoriantur: profanas vero profanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur. Hæc ſunt ferè quæ duobus Commonitorijs latius diſſerta, aliquanto nunc breuius recapitulandi lege conſtricta ſunt; vt memoria mea, cui adminiculãdæ iſta confecimus, & commonendi aſſiduitate reparetur, & prolixitatis faſtidio non obruatur.

EXPLICIT.

PHOEBADII AGINNENSIS EPISCOPI CONTRA ARRIANOS LIBER.

EX LIBRO
D. HIERONYMI DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

PHOEBADIVS Aginni Galliarũ Epiſcopus edidit contra Arrianos librum. Dicuntur eius & alia eſſe opuſcula, quæ necdum legi. viuit vſque hodie decrepita ſenectute.

PHOEBADII AGINNENSIS EPISCOPI CONTRA ARRIANOS LIBER.

NISI illam zabolicæ ſubtilitatis fraudem viderem, quæ omniũ ferè ſenſibus occupatis, & hæreſim perſuadet vt fidem rectã, & fidẽ rectam damnat vt hæreſim, nullum omnino ſuper his quæ nuper ad nos ſcripta venerunt, ſermonem haberem, fratres chariſſimi. Sufficiebat enim conſciẽtiæ puræ tenere quod credit: æſtimanti fore rectius tueri propria, quàm extranea & aliena diſcutere. Sed quia (vt diximus) aut hæreſis ſuſcipienda eſt, vt catholici dicamur, aut verè catholici non futuri, ſi hæreſim non repudiamus, ad hanc tractatus conditionem neceſſitate deſcendimus, qua zabolicum virus ſub modeſtia religioſæ venerationis occultum, in medium proferre nos conuenit: vt & malum quod ſub opinione verborum ſimplicum la-

ter, deprehendatur, & mẽdacio detecto, veritas intercluſa reſpiret. Deſtruẽda ſunt enim aliena, vt noſtris credatur: noſtris autem, niſi ea fuerint deſtructa, vt ſolis credi debeat, nõ ante credendũ video. Igitur niſi hæreſim zabolica fraude cæcatã proferre in cõſcientiã publicam poſſim, tamẽ dum de ipſa mihi ſermo eſt, dans fidei meæ pignus, catholicũ me probabo, probatũ quidem (vt ſpero) Deo primũ, dein conſcientiæ meæ: ſed & his probandũ quos aut metus, aut ſæculi ambitio non vicerit. Incipientes igitur ab ipſo capite perfidiæ, nõ fidei, ac deinceps per totum corpus decurrẽtes, probabimus multa per fraudem communis profeſſionis, quæ ſcilicet nec recipere poſſumus, nonnulla verò ſine vlla pudoris ſimilitudine eſſe cõgeſta. Nam & vnus Deus non ſine fraude proponitur, nec duo ſimpliciter negãtur: nomen verò Subſtantiæ idcirco penitus eiuratur, vt ſcindatur à Patre Filius: denique natiuitas eius refertur ignota, quæ ſi, vt eſt ex Patre, ita credatur, ipſa ſui confeſſione ſatis nota eſt. Maior Pater Filio dicitur, non tamen ea differentia qua Filio Pater maior eſt, ſed omnibus diuinæ gloriæ bonis maior: quibus ſi minor eſt Filius, nec ipſe eſſe in Patre dabitur, quia nihil in ſemetipſam recipiet æterna eius beatitudo, niſi propriũ, non autem proprium

Dei, niſi plenum atque perfectum: nec rurſum in eo pater eſſe dignabitur, in quo totus eſſe non poſſit. Habere initium Pater negatur, hoc ideo vt Filius nõ ad auctorẽ, ſed ad tempus habere credatur. Puto autem, cui initium ſic adſcribitur, fini obnoxius non negetur. Subiectus deinde Patri filius dicitur, non tamen vt filius Patri, ſed vt ſeruus Domino, quum legamus ſeruum heredem eſſe non poſſe. denique cum omni creatura ſubiectus Deo refertur. Inuiſibilis, immortalis Pater nunciatur, vt ſcilicet in contrarijs eorum Filius iaceat. Si hęc igitur ſingula non humana præſumptione, ſed auctoritate diuina loqui refellimus, conſequẽs erit in ea parte catholicam fidem ſtare, quæ talẽ recipit Deum, qualis debet eſſe qui Deus eſt. Vnum, inquit, conſtat Deum eſſe. Videri quidem non poſſunt calumniantibus coniecturis argumentari, & ſanctitatem fidei ſimplicis maligna interpretatione torquere. Sed reſpiciendum ad Vrſatium & Valentem, & Potamium, quia ſæpenumero iiſdem verbis vnicum Deum ſubdola fraude confeſſi ſunt. Nihil ſimplex in hac fidei profeſſione ſuſcepi, quæ prima fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, hæretica ſubtilitate blanditur: pari modo quo veneni poculũ mella cõ-

» mendāt. Vnum, inquit, conſtat Deum omni-
» potentem Patrem. Nemo noſtrûm abnegat,
» quia nemo ignorat. Sed (vt probari ipſorum tractatibus poteſt) dicimus illos hoc loco non tam vnum Deum profeſſos, quàm vnum Patrem omnipotentem. Nanque & eadem conſtantia Filium nolunt & Deum, tamen Filium confitentur. Puto ſuſcepiſſe alterum nō negabunt, & idcirco integrum illis eſt in hac ſua perfidia, non fide, vnum Deum Patrem, quàm vnum Deum dicant. Quanquā in omni profeſſionis ſuæ corpore ſic ipſum Dominum noſtrum non negant, vt Deum deſtruant: hoc eſt, vt tantùm nomine Domini dicāt, quo nomine etiā nos appellari ſoliti ſumus. Ego, inquit, dixi, vos dij eſtis. quo nomine & Moyſes antè donatus eſt. Faciā te, inquit, Deū Pharaoni. Nequis ergo putet his verbis perfici catholicā profeſſione, niſi & vnū Deū Patrem cōfitemur, & Deū Filiū nō negamus. Poteſt enim & Deus Pater ſic vnus Deus dici, vt ſit vnus Pater, non Deus vnus. Poteſt & ſic Filius Deus dici, vt Deus non ſit. Duos, inquit, deos nec poſſe, nec prædicari debere. Scimus hoc, nec vnquam ex ore noſtro duos deos proferimus. Deus enim ſi non vnus & verus eſt, Deus non eſt. Sed aduertēdum eſt qua iſtud definitione

Pſal. 81. Exod. 9.

ponatur, cui perfidiæ patetur hoc totum, in quod piaculum communia nobiſcum verba prorumpant. Statim enim cur duos deos negauerint, ponunt. Quia ipſe Deus ait, Vado ad Patrem meum & Patrem veſtrum, ad Deũ meum & ad Deum veſtrum: qua definitione malæ interpretationis in tantum à Patre Filius ſeparatur, & infra omnipotentem Deum ponitur, vt nobis & natiuitatis conditio, & humanitatis infirmitas ſocietur. Denique ſubiungunt, Deus omnium, vnus eſt Deus: quo dicto Dominus non, Deus abſolutè denegatur. Deo etenim Patri non Filii nomine, ſed creaturæ conditione ſubiicitur. Et credo, hoc loco auctoritas Apoſtolica vindicabitur, vt Deus Chriſtus dicatur potius quàm ſit: quia dixerit, Et donauit illi Deus nomen, quod ſuper omne nomen eſt. Sed & ipſius Domini negantis eſſe ſe Deum verum, quum dicit, Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum & verum Deum. &, Quid me (inquit) dicis bonum? nemo bonus niſi vnus Deus. Adhuc audies, Cur honorem ab vno & ſolo Deo nõ quæritis. Et, De die autem & hora nemo ſcit niſi Pater ſolus. O duces cæci! ô ſæculi ambitione decepti! nõ diſtinguentes Dominicæ potentiæ duplicem ſtatũ, in ſua vnumquéque pro-

Ioan. 20. *Phil.* 2. 1. *Iohan.* 17. *Luc.* 18. *Matth.* 24.

prietate diſtãtem, & quicquid de homine eius dictum eſt, Deo applicatis, vt ipſe Deus hominis imbecillitate ſocietur. Et idcirco duplicem hunc ſtatum, non coniunctum, ſed confuſũ vultis videri, vt etiam vnius veſtrûm, id eſt epiſtola Potami, quæ ad Orientẽ & Occidentem tranſmiſſa eſt qua adſerit carne & ſpiritu Chriſti coagulatis per ſanguinem Mariæ, & in vnum corpus redactis, paſſibilem Deum factum. Hoc ideo ne quis illum ex eo crederet, quem impaſſibilem ſatis conſtat. Feciſtis igitur de Spiritu Dei & carne hominis neſcio quid tertium: quia nec verè etiam Deus eſt, ſi verbum eſſe deſiuit (caro enim factus eſt) neque verè homo: quia non propriè caro. fuit enim verbum. ac ſic ex vtroq; iam neutrũ eſt. Ille, inquam, ille qui contra hoc venenum vtramque ſubſtantiam ſuam adfectus proprietate diſtinxit. Nam & Spiritus in illo res ſuas regit, id eſt, virtutes & opera & ſigna: & caro paſſionibus ſuis functa eſt. Cibum deſiderauit quum temptaretur à zabulo, ſitiuit ad puteũ Samariæ, quũ Prophetæ vox ſit: Deus æternus neque ſitiet neque eſuriet. Quid adhuc de
Iſ. 49
hominis affectu? Fleuit Lazarum & Hieruſalem, poſtremo anxius fuit ad mortem. Sed quod expreſſit affectu, numquid non teſtatus

eſt verbis? Ait enim Nicodemo, Quod de carne natum eſt, caro eſt : & quod de ſpiritu, ſpiritus : &, Caro (inquit) infirma, ſpiritus promptus eſt. Non ergo ſit ſpiritus caro, nec caro ſpiritus, quod iſti volunt egregij doctores, vt factus ſit ſcilicet Dominus & Deus noſter ex hac ſubſtantiarum permixtione paſſibilis. Ideo autem paſſibilem volunt dici, ne ex impaſſibili credatur. Sed quid neceſſe eſt altiora ſcrutari, & virus internum per argumenta prodentem communi exponere & publicare iudicio, quum lucifuga ſerpens per anfractus euoluẽs ſeriem ſuam tortuoſéque procedens, qualis quantúſque ſit aliquando prodiderit, & venenum prius ſolummodo ſolitus aſpergere, libertate victoris totum pariter effuderit? Ab epiſcopis procedit edictum, Nemo vnam ſubſtantiam dicat: hoc eſt, Nemo in Eccleſia prædicet Patris & Filii vnam eſſe virtutem. Quid egiſtis, ô beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, & ſacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei catholicæ regulam circumſpecto ſermone feciſtis, dantes bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus verò formam credendi? En labor veſter, en anxia ſollicitudo quò recidit, qua orientis mali ſe- Matth. 26.

mina, quantum in vobis tunc fuit, profeſſione catholica necauiſtis. Vetatur in Eccleſia prædicari quod ſolum ſanxiſtis ob hæreſes detegendas, debere in Eccleſia prædicari. Tollitur quod probaſtis, &quod damnaſtis inducitur: quia mendacium adſtrui, niſi deſtructa veritate non poterat. Deſtructioni quidem illa non ſubiacet, & vt eſt, ſemper incorrupta durabit, ſed manus ſibi ſacrilegas inferentes, tanquam violatã puniuit. Nemo vnam ſubſtãtiam dicat. Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo? qua ex parte catholicam fidem pulſat? vtrumne ſono vocabuli, an interpretatione rei ipſius? Nihil fallor, interpretatio caret culpa. Subſtantia enim dicitur id quod ſemper ex ſeſe eſt, hoc eſt quod propria intra ſe virtute ſubſiſtit: quæ vis vni & ſoli Deo competit. Vſitatum verò & familiare diuinis voluminibus hoc nomen nec ipſos puto ignorare qui negant. Dauid enim ex perſona Chriſti,
Pſal 68. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſub-
Pſal.138. ſtantia. Et rurſum, Subſtantia mea in ferio-
Pſal.38 ribus terræ. Et, ſubſtantia mea ante te eſt ſem-
Pſal.108. per. Et, Subſtantia mea tanquã nihilum ante te. Et Scrutetur fœnerator ſubſtantiam eius.
Prou. 3. Sed & Salomonis ſententia, Subſtantiam, in-
Hiere.22. quit, tuam & dulcedinẽ tuam. Et Hieremias,

Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea. Et in prouerbiis, Subſtantia diuitis, ciuitas munita. Et in eodem, Domum & ſubſtantiam diuidunt patres filiis. Sed & Tobias, Si fuerit, inquit, tibi copioſa ſubſtātia. Et idem, Fili ex ſubſtātia tua fac ælymoſinam. Sed & Iohānes, Qui habuerit ſubſtantiam mundi. Et in Euāgelio, Ecce, inquit, dimidium do ex ſubſtantia mea. Ideo hæc in vnum exempla congeſſimus, ne ſermo ille caperet indoctos, quò teſtati ſunt, idcirco ſubſtantiam non prædicandam, quia in diuinis Scripturis nuſquam inueniretur. Ergo ſi neque ipſum vocabulum ſubſtātiæ ſacris literis nouum eſt, neque interpretatio eius habet crimen, ſupereſt vt diſpiciamus qua ex cauſa repudietur hoc nomen. Diſpicientes autem, inueniemus illos non nomen, ſed nominis repudiare virtutem. Quod ſi relucebit, erit apud nos intuitus nominis ſtatus, erit & illorum ſenſus in vitio, qui dum nouellas profanæ intelligentiæ vias quęrunt, à recto Euangeliorū limite receſſerunt. prius tamen quàm id adſtruo quod ſpopondi, occurrendum eſt illis quæ è contrario proponuntur. Aiunt enim inueniri quidem in diuinis voluminibus nomen Subſtantiæ, ſed non ſtatim pertinens ad eandem ſpeciem quæ inducatur à nobis. Ibi

Prou. 10.
Tob. 4.
1. Iohan. 3.
Luc. 19.

enim per ſubſtantiæ vocabulum aut virtutem aut diuinitatem ſignificari. Et nos ergo vnam Patris & Filii ſubſtantiam vindicantes, quid aliud quàm in vtroque pares diuitias, vnius ſcilicet diuinitatis prædicamus? De quibus diuitiis ait Apoſtolus, Notas, inquit, fecit Deus diuitias gloriæ ſuæ, quod eſt Chriſtus. Et vnã vtriuſque dicimus eſſe virtutem, de qua idem Apoſtolus ait, Chriſtus virtus Dei eſt. Quæ quidem virtus, quia nullius extraneæ opis indiget, dicta ſubſtantia eſt, vt ſuprà diximus, quicquid illud eſt, ſibi debens. Nihil ergo in hoc vocabulo nouum, nihil extraneum dicimus, nihil incongruens diuinitati, etiam ſi in quamuis partem ſignificantiæ transferatur. Sed (vt cœperam dicere) omnis iſta quæſtio nominis, alterius eſt doloris: nec vocabulum, ſed vis vocabuli diſplicet. Quibus enim accipere auribus poſſint vnam Patris & Filij ſubſtantiam prædicari, hoc eſt, honorem, dignitatem, claritatem, virtutem, maieſtatem pari in vtroque veritate communem, qui à Patre Filium ſeparant, & diuiſis ſubſtantiis in ſua vnumquemque proprietate degentem, repudiata diuinitatis communione proponũt? Hic ergo blaphemiæ, hic dictis ſacrilegus dolor, quo in Patre & Filio recipitur Deus vnus. Mortuis

[Margin notes: Coloſſ.1. (beside "uitiis ait Apoſtolus"); 1.Cor.1. (beside "Apoſtolus ait, Chriſtus virtus")]

tuis enim auctoribus huius veneni, ſcelera tamen eorum & doctrina non mortua: illis, inquam, auctoribus in tantum à Patre ſeparantibus Filium, vt ore ſacrilego protulerint, Filiũ Dei ante ſæcula quidem creatum & fundatum, ſed viuere & eſſe à Patre ſuſcepiſſe: & fuiſſe antequã naſceretur, & Deum quidem eſſe, ſed non eſſe verum Deum. Succeſſoribus igitur huius perfidiæ, non fidei, per quos malorũ ſerpit hereditas, meritò vna ſubſtantia diſplicet, quam tolli velut ſcandalum & vnitatis diuortium poſtulant, ignorantes illos tantùm catholicos eſſe dicendos, qui in huius profeſſionis communione concordant. Illud autem quis ferre æquanimiter poſſit: vt quem initiũ habere pro certo adſerunt, huius natiuitatem habeant in incertum? Aut vtrumque in occulto habendum eſt, quia contemporale eſt: aut vtrumque eſſe cognitum debet. Alterũ enim neque noſci neque ignorari ſine altero poteſt. Habet (inquit) initium Filius, ſed eſt eiuſdem occulta natiuitas. Non eſt. Initium, qui prodidit de natiuitate cur tacuit? Immò ipſa natiuitas vnde nota, quæ aſſeritur ignota? & hoc loco homines omni ſpecie bona vacui præſcribunt Prophetæ auctoritate dicentis, Natiuitatem eius quis enarrabit? non intelligentes *Eſa.53.*

iam tunc eos prophetali ſpiritu eſſe præuiſos qui daturi erant initium Dei Verbo, hoc eſt Dei Filio. Natiuitatem, inquit, eius quis enarrabit? hoc eſt dicere, Nemo hominum poterit. Nemo enim potuit, præter ipſum qui ſinũ Pa tris ediſſerens, principaliter nobis ſecreta natiuitatis ſuæ reuelauit. Nam & legimus ad eandem ſpeciem dictum eſſe, Quis cognoſcit
Rom. 11. ſenſum Domini? Sed rurſum docemur, Niſi Spiritus qui in ipſo eſt. Natiuitatem eius quis enarrabit? hoc eſt dicere, Nemo audeat enarrere quod non poteſt. Cur autem nemo poterit? quia ſcilicet non ſolùm ex eo & cũ eo, ſed & in eo eſt qui caret natiuitate. Genitus enim ab ingenito, his diuinæ gloriæ bonis natus eſt quæ penes ingenitum erant, & penes eundem ingenitum deſiuit Pater habere quod genuit, eundem in ſemetipſo habendo quem genuit. Huius igitur natiuitas ideo inenarrabilis nũtiatur, quia per ipſa conceptus eſt, & perfectus ex Deo Patre Filius Deus eſt. Quia ſecundum ſcripturas de Filio diximus, Ex eo & cũ eo, & in eo, ne quis ſignificationum varietate turbetur, reddenda eſt ratio dictorum: & ne propoſita confundantur, reddenda compendio. Ex eo, auctorem: Cum eo, ad vnigenitum: In eo, ad natiuitatem ſubſtãtiæ reſpicit. Hoc auditur

in omnib⁹. Tene diuinæ diſpoſitionis myſteria: Satis noſti. Natiuitatem, inquit, eius quis enarrabit? Quis enim poſſit ſecundũ naturam enarrare natiuitatem quæ contra naturam eſt? Hic enim ſolus eſt natus natiuitatis ſuæ conſcius. Hic enim qui cui bona pararentur, intelligens, per naturæ originem, Patri inerat, ipſa illa conditione qua natus eſt. Natiuitatem, inquit, eius quis enarrabit? Et ſubiungunt nulli hanc proditam, quia ſoli ſcilicet & Patri nota ſit. Hoc eſt dicere ſubtilium fraude verborum, Genuit quidem Filium Pater, ſed nemo ſcit vnde. Nam & ſimiliter & Iudæi dixerunt, Nos ſcimus quòd Moyſi loquutus eſt Deus: hunc autem neſcimus vnde ſit. Quanuis enim aliquando nobiſcum faciant communionem verborum, & nonnulla videantur dicta ſimpliciter infamia hæreticæ prauitatis adſpergere, tamen quia omnia ferè eorum veniunt aduerſus fidem veram, neceſſe eſt ſecundum plura intelligi pauciora; præſertim quum ſiquid receptum fuerit contra fidem veniens, totius fidei damnum ſit. Nemo ſcit, inquit, quomodo genitus ſit Filius, niſi Pater ſolus. Quid ergo ſibi vult illa ſententia, qua hoc Dominus ignorare nos nõlens, Ego, inquit, de Patre exiui & de ſinu Patris? Proh dolor! Cur,

Iohan. 9.

Iohan. 8.

ſectantes ignorantiæ tenebras, ignorare nos noluit? & vtique noluit, vt auctore nobis cognito, ſtatus ſui quæſtio tolleretur. Non enim erat quærendum quis, quomodo, vel qualis eſſet, quum vnde eſſet noſceremus. Sed ſi hoc loco ipſius Domini ſententia id confirmatum eſſe proponitur, dicentis ſcilicet, Nemo nouit Patrem niſi Filius, nec Filium quis nouit niſi Pater, audient à nobis, ne fraudem faciant diuinæ difinitioni. Sequitur enim, Et cui voluerit Filius reuelare. Non eſt enim penitus occultum quod poteſt reuelari. Reuelatur enim, ſi dignus reuelatione quis fuerit. Iam ergo hæc notitia ſecreti cauſa nō tegitur, quæ reuelatur ex cauſa: & conſequens eſt vt in dignos cognitione non iniquus habēdus ſit Deus qui ignorantiam punit. Non autem puniret, ſi ſcientiā non dediſſet. Dedit enim per ſpiritum ſanctū. Denique, Spiritus, inquit, veritatis enarrabit vobis omnem veritatem. quum dicit omnem veritatem, certè nihil excepit. Hic eſt Spiritus natiuitatis & veritatis, per quē Salomō de Dominica natiuitate, Quid ſit, inquit, ſapientia, & quemadmodum facta ſit referam, & ab initio nouitatis inueſtigabo eam. Ergo per eundem Spiritum poſſumus inuenire quod quærimus. Nam & Apoſtolus, Reuelabit nobis,

Matth. 11. *Iohan. 16.* *Sap. 6.* *1. Corinth. 2.*

inquit, Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam alta Dei. Nemo ſcit quæ ſunt in Deo, niſi Spiritus Dei: quem Spiritum, ſi in nobis habitare idem Apoſtolus probat, poſſumus ergo per eundem Spiritum, Dei nos inſerere ſecretis. Et ſanè, Quærite, inquit, & inuenietis: petite, & dabitur vobis, pulſate, & aperietur vobis. Et rurſum, Pater, quæ abſcōdiſti à ſapientibus, reuelaſti ea paruulis: nobis vtique, ad quos Dominus, Vobis, inquit, datum eſt noſſe myſterium Dei. Illud vtique myſterium, de quo Apoſtolus, Quod antè, inquit, non fuit notum filiis hominum, nunc reuelatum eſt ſanctis eius. Reuelatum planè. Oſtendit enim eminentes diuitias gloriæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto, quia ipſe eſt in gloria Dei Patris. Ipſe enim vera progenies Ingeniti. Hoc eſt, Nemo ſcit quomodo genitus ſit Filius. Nemo vtique, ſed ex his in quibus (vt ait Dominus) verbum eius non capit: ſicut nec Iudæis, ad quos idem Dominus ait, Vos, inquit, ignoratis vnde veniam, & quò eam: quia ſecundum carnem iudicatis. Quomodo enim nemo, ſi Pater dicit, Eructauit cor meum verbum bonum? Quomodo nemo? Filius ait, Ego ex ore Altiſſimi prodiui. Noli quærere amplius, & non habes quod requiras.

Luc. 11. Matth. 11. Matth. 13. Ephe. 3. Iohan. 8. Pſal. 44.

Noſti enim totum, quia quod dicitur totum
Eccl.24. eſt. Ex ore, inquit, Altiſſimi prodiui. Hæc eſt
enim natiuitas perfecta Sermonis, hoc eſt
principium ſine principio. Hic eſt ortus habẽs
initium in natiuitate, in ſtatu non habens. Ex
Deo enim innaſcibili Deus naſcibilis exiuit,
vnus ab vno, verus à vero, plenus à pleno: ac
ſic naſcendo in his quæ erant ſemper, non
cœpit eſſe quod natum eſt de non conceptis,
nec habet tempus quod eſt intemporali Patri
congenitum per naturam. Scriptum eſt enim,
Iohan.4. Deus Spiritus eſt: & ex Deo natus, eſt æternus,
& eius naturæ, qua conſtat æternitas. Non
igitur imperfectus Filius, licet natus, quia na-
tus eſt à perfecto: Nec imminutus ille qui ge-
nuit, quia genuit de ſemetipſo. Totus enim
dedit totum, vt ſecundum Spiritus virtutem
totus eſſet in toto. Sed iam ſe mali doctores
intra artis ſuæ ſecreta non continent, & aduer-
ſus veritatẽ, ex ipſa veritate cõſiſtunt, habẽtes
cornua vt agni, & loquẽtes tanquã dracones.
Volentes igitur à Patre Filiũ ſcindere, & infra
Iohan.10. Deum ponere, de Euangelio præſcribunt: Pa-
ter, inquit, maior me eſt: & quomodo maior,
ſtatim hæretica præſumptione definiunt, Ho-
nore, claritate, dignitate, maieſtate. Quod ſi
Iohan.5. ita eſt, cur iubetur vt omnes honorificent

Filium, ſicut honorificant Patrem? Quod ſi ita eſt, ergo quotidie blaſphemamus in gratiarum actionibus, & oblationibus ſacrificiorum, communia hæc Patri & Filio confitētes, quia ſcilicet non poteſt Filius non totum habere quod Patris eſt, quum ipſe totus in Patre ſit. Denique Iohannes ait, Deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris. Et Deo inquit, Omnia tua mea ſunt, & mea tua: &, Nihil poteſt Filius facere à ſemetipſo, &. Non veni voluntatem meam facere, ſed eius qui me miſit. Quod vtique non infirmitatis confeſſio eſt, ſed vnitatis aſſertio, Dixerat enim & contra infirmitatem & pro vnitate, Qui me miſit, mecum eſt, &, Pater in me manens, facit opera ſua: &, Verba quæ loquor, non ſunt mea, ſed Patris. Quidquid ergo detrahitur Filio, derogabitur & Patri. Nam nihil alter ſine altero facit: quia eſſe alter ſine altero non poteſt. Nec Filius enim Filius, niſi Patrem habet: nec Pater Pater, niſi habens Filium. Pater, inquit, maior me eſt. Sed plenitudo eiuſdem diuinitatis in Filio eſt. Denique Apoſtolus, Quotquot, inquit, promiſſiones Dei, ſunt, in illo Eſt. Nunquid ergo obſequia Filii diuinitatis ſtatum ſoluunt? Soluitur enim in Chriſto omne quod Deus eſt, ſi maieſtatis

Iohan.1.
Iohan.17.
Iohan.4.
2.Corinth.1.

alterius accipitur. Alterius autem erit, ſi maieſtate Pater maior me eſt. Quæ quidem maieſtas, quia vna eſt, vnius ſcilicet Dei, nõ poteſt non eſſe perfecta: quia imperfecta, inæqualis eſt. inæqualis autem, ſi in altero minor eſt. Sed ſi in hoc loco, illud vobis adplaudet quod Matthæus refert, Filium hominis, quaſi priuatum ſcilicet & minorem, legite in eodem

Math.25. Luc.21. Matthæo, Filium eſſe venturum in maieſtate Patris ſui, de quo aduentu & Lucas, Quum venerit, inquit, Filius hominis cum gloria ſua & Patris. Non tã ergo à vobis minor maieſtate Filius dicitur, quum hoc dicitur, quàm Deus negatur. Ille, inquam, ille de quo Salomon

Sap.7. ait, Splendor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis. Planè ſpeculum ſine macula. Cuſtodit enim Dei vultus, & figuram fideliter exprimens, plenam Patris imaginem reddidit. Et quid amplius de ſtatu eius in quo ſe Dominus Chriſtus agnouit? Pater, inquit, maior me eſt. Meritò maior, quia ſolus hic auctor ſine auctore eſt. Denique Apoſtolus de

Coloſſ.2. Filio, In ipſo, inquit, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ergo vt Filius in Patre, ita & Pater perfectus in Filio eſt. Denique dicẽs Dominus noſter proficiſci à Patre Spiritum

Iohan.16. ſanctum, ſubdidit, De meo accipiet. Sicut

Iohan-

Iohannes quum dixiſſet, Adnuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, addidit, Hæc vita in Filio eius eſt. Ac ſic quum ambo & alteruter perfecti ſint, vnus tamen perfectus Deus eſt in duobus. Pater, inquit, maior me eſt. Meritò maior, quia non ipſe deſcendit in virginem, quod Sabellius noluit, apud quem Pater & Filius ambo non ſunt, hoc eſt duûm nominũ vna perſona, quum Patris vocem audierit per Eſaiam, Ecce Filius meus quem ego elegi, ponam Spiritum meũ ſuper eum. Ac deinceps per eundem Propehetam loquentem Filium recognoſcat, Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. quam hæreſim Dominus præuidens, Non creditis, inquit, quia ego in Patre & Pater in me? Certè non dixit, Ego ſum Pater, & ego in me: ſed, Ego in Patre, & Pater in me: quo dicto duas hæreſes eliſit, Sabellianam ſcilicet & Arrianã. Patrem & Filium eſſe non vnam perſonam, vt Sabellius: aut duas ſubſtantias, vt Arrij: ſed (vt fides catholica confitetur) vnam ſubſtantiam, & duas docuit eſſe perſonas. Sed quid argumentis opus eſt? quum ipſe Dominus pronuntiauerit definitiua ſententia, Quæcunque Pater facit, eadem & Filius. quomodo eadem ſi adſpirare ad ſummã paternæ illius glo-

Iohan.1. *Eſ.42.* *Eſ.61.* *Iohan.14.*

riæ non poteſt? Imo quia poteſt, rectè Iohannes, Sine ipſo, inquit, factum eſt nihil. Et ipſe Dominus, Ego, inquit, & Pater vnum ſumus. Vnum vtique per naturam: quia quod erat in filio hominis, & in Patris ſinu manebat. Denique, Et me, inquit, noſtis, & noſtis vnde ſim, & non veni à me, ſed eſt verus qui me miſit, quem vos neſcitis. Ego noui eum, quia apud illum ſum, & ille me miſit: &, Solus, inquit, non ſum, ſed ego & qui me miſit, Pater: &, Sicut me nouit Pater, & ego noui Patrem. Neſcio autem an poſſe potuerit Patrem Filius, ſi initium ſortitus eſt Filius. Genitus enim noſſe non potuit ingenitum, antequam genitus eſt. Iam ergo non ſic Patrem nouit, vt notus à Patre eſt & adſcribendum eſt ei mendacium, (quod in Domino cadere non debet) & meritò adſcribendum, ſi adſertio eius ratione non ſteterit. Non ſtabit autem, niſi ille eſt qui non ſolùm exiuit à Patre, ſed in Patre & eſt & fuit ſemper. Omnia, inquit tradidit Pater in manu eius. Quomodo omnia, niſi & omnis temporis? Quomodo autem omnis temporis, ſi initio non caret? Quamlibet enim ante omne tempus natum dicatis, tamen quia vultis eum aliquando cœpiſſe qui natus eſt, nec fuiſſe quod factum eſt, neſcio quo-

Iohan. 1. Iohan. 7. Iohan. 3.

modo defendatis omnia illum à Patre & omnis temporis conſequutum. Subiectus, inquit, » Patri Filius cum omnibus his quæ ei ipſe Pater » ſubiecit. Quid venenatum virus exquiſitorũ » verborum velamine tegitis? Nos quæ audiuimus à patribus noſtris, conſtãter prædicamus: & vos ergo doctrinam patrum veſtrorum deſerere nolite. Illi, inquam, liberè Deum gloriæ cæleſtis non Deum verum eſſe, ſed creaturam Dei perfectam eſſe dixerunt. Vos tamen idem ſentientes abrupta blaſphemiæ verba vitantes, ambigua ſectamini ad decipiendos ſimplices & incautos. Subiectum enim Patri Filium non Patris vel Filij nomine, vt ſancta & Catholica dicit Eccleſia, ſed (vt ſuprà diximus) creaturæ conditione profitemini. Dicentes enim, Cum omnibus his quæ illi Pater ſubiecit, Patri Filium eſſe ſubiectum, nonne ipſum in creaturarum ordine, quæ ex tempore ſunt inſtituta, numeratis? Nihil enim ſecundum vos omni creatura amplius habet Deus & Dominus noſter, niſi quòd primus in numero eſt, niſi quòd ei etiam illa ſeruiunt cum quibus ſeruit. Seruus enim & ipſe ſi ſeruit, & licet nonullorum Dominus, ſed Dominus voluntate: ſi voluntate Domini Dominus effectus, hoc ipſo ſeruiens, quòd iuſſus eſt im-

perare. Hoc eſt illud quod vos occultè, & patres veſtri cũ libertate dixerunt, Filiũ Dei ſine tempore editum à Patre, & fundatum non fuiſſe priuſquam naſceretur. Quæ iſta eſt, rogo, cordis hebitudo? quæ obliuio ſpei? Immo quæ, tam amens & blaſphema confeſſio Deum dicentis, quem omnibus his quæ ex nihilo facta ſunt, comparaſtis? Hoc eſt & Filium falſo nomine diuinitatis inludere, ſi eſſe verbo dicitur, quod corde negatur: & Deum Patrẽ mendacem notare, dicentem ſcilicet, Ego ſum qui ſum: &, Egò ſum Dominus ſolus: &, Claritatem meam alteri non dabo: &, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: & Nomen meum non quæras, Deus nomen eſt mihi. Si ergo vnus Deus, vni hoc competit nomen. Vnus autem iam non erit, niſi in Patre Deo Filius Deus ſit: & meritò Dominus iuxta prophetam qui dixerat, Benedictus qui venit in nomine Domini. Ego, inquit, veni in nomine Patris mei. Quod nomen Patris, niſi Dei nomen & Domini? quod Iohannes in filio recognoſcens, Qui eſt, inquit, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens. Patrem inquit initium non habere. Hoc eſt dicere Filium habere. Nã quæ neceſſitas id de Patre adſeuerare quod notum eſt, niſi præiudicium eius o-

Exod. 3. *Num. 6.* *Pſal. 117.* *Iohan 5.* *Apoca. 1.*

pinionis quæ de Filio paria ſuſcepit? Patrem, inquit, initium non habere. Quis negat? Sed, puto, & imago inuiſibilis & ingeniti Dei non poteſt cœpiſſe poſt Deum. Denique interroganti Moyſi quis eſſet, reſpondit, Ego ſum qui ſum ſemper. Erat enim ſemper, qui eſt & erit ſemper. De quo Iohannes, Quod erat ab initio, oculis noſtris vidimus. Et rurſum, Adnunciamus vobis vitã æternam quæ erat apud Patrem: vtique & in Patre. Nam quod ex ipſo erat, extra ipſum eſſe non poterat. Et ſanè quum dicitur, Erat in ipſo tempus, non ipſe fuiſſe in tempore nũciatur. Æternæ enim ſubſtantiæ vis non facta eſt à Deo, ſed egreſſa à Deo. ideo, Et ego (inquit) à Patre exiui: &, Ego & Pater vnum ſumus: &, Qui me vidit, vidit & Patrem: & Ego in Patre, & Pater in me: &, Qui me miſit, mecum eſt. Ideo & Dauid, Tecum principium in die virtutis tuæ. Dei enim Verbum, hoc eſt Dei Filius, ante omne principium cum eo qui ex eo & in eo cui nullum poteſt eſſe principium. Inuenimus quidem dixiſſe Salomonem ex perſona ſapiẽtiæ, (quam Chriſtum eſſe defendimus) Dominus condidit me, & ante ſeculũ fundauit me, & prior abyſſo genita ſum: ſed non ideo credendum eſt Deum factum. Nam ſi factus eſt,

Exod.3. Iohan.1. Iohan.10. Iohan.14. Pſ.190. Prou.8.

non fuit: ſi non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus ſit, vtraque conditio præſcribitur? Ideo autem ſapientia Dei nata & condita nuntiatur, ne quid præter ipſum Deum Patrem, qui eſt etiam ſuis origo virtutibus, crederetur in natura. Exinde enim rectè diceretur, Ex ipſo & in ipſo creata ſapientia, ex quo effulſit ab eo vnigenita & beata natiuitas. Qui ergo probauerit ſine verbo, ſine ſapientia, ſine ratione, ſine virtute, ſine Spiritu aliquando Patrem fuiſſe, is probauerit cum Patre & in Patre Filium ante omne principium non fuiſſe. Tamen neſcio ſi his virtutibus carens Pater, poſſit Deus dici. Non modò enim Deus qui in ſua æternitate perfectus eſt, ſed nec creatura quidem vlla ſecundum ſuum genus non conſummata conſtabit. Nõ poteſt enim quid eſſe, quod non ſit, non erit autem, ſi id illi defuerit quod eſſe debebit. Totum igitur defuit Patri, ſi aliquid defuit de toto. Defuit autem, ſi Filius ſuus, hoc eſt virtutum ſuarum plenitudo, initio non caret: & neceſſe eſt hãc opinionem alterutram blaſphemiæ partem profana & ſacrilega definitione tranſire. Aut enim Pater credendus eſt cum filio ſuo initium fuiſſe ſortitus, quia ſine Filio, hoc eſt ſine virtutibus ſuis, eſſe non potuit, & erit auctor huic illorũ

initio neſcio quis tertius Deus: aut ſi ſolus ipſe ſine initio dicitur vſque ad Filij generationẽ imperfectus fuiſſe dicendus eſt. Imperfectus enim, ſi cœpit habere quod antè non habuit, &, habere tamen debuit, denique habere voluit. Is omnia autem habere debuit ſemper, qui ſemper debuit eſſe perfectus: quia non recipit augmentum quicquid occupauerit totum. Patrem inquiunt initium non habere, „ inuiſibilem eſſe, immortalem eſſe, impaſſibi- „ lem eſſe. Hæc ideo proponunt vt contraria his „ Filio adſcribant. Quicquid enim de Patre negant, de Filio confitentur: qui ſi habere initiũ probatur, meritò mortalis, meritò paſſibilis. Præiudicatum quidem eſſe deberet & cætera paſſionum genera in Filium non conuenire, prima propoſitionis ſpecie deſtructa, quæ initium dabat Dei verbo: nequid tamen diffidẽtia præ cæteris quæ ſunt profanè propoſita, retractemus, (nam vt initium non habẽti adſcribi cætera quæ ſunt huic definitioni ſubiecta non poſſunt; ita ſi vni eorum adfinis deprehenditur) æquum eſt etiam illa quæ fuerãt defenſa diſſolui. Inuiſibilem inquit Patrem eſſe. Quaſi verò vſquam inueniamus vel Filiũ ſine transfiguratione fuiſſe viſibilem, antequã Patri obediens fieret ex æternitate corporeus.

Quanuis enim & Abrahæ viſus ſit & Iacob, & Moyſi, & Iſaiæ, & Ezechielo, tamen viſionis illius qualitas explicatur. In ſomno enim & in ſpeculo & in ænigmate viſus refertur. Denique Moyſi poſtulanti vt cognoſcenter eum videret, Nemo poteſt, inquit, faciem meam videre: quia nemo qui eam viderit, viuet. Ergo hoc loco aut Patrem locutum fuiſſe contẽdant qui inuiſibilem eſſe ſe dicit: aut ſi Filium non negant tunc locutum, ſciant & illum ſuo nomine inuiſibilem fuiſſe, vt ſermonem, vt ſpiritum. Inuiſibilis Deus denique quomodo viſus ſit eadem ſcriptura teſtatur. Refert enim loquutum cum eo Deum, tanquam ad amicũ, facie ad faciem. Ac deinceps ſubiungit, poſtulaſſe Moyſem, vt faciem eius videret: quam vtique, ſi viderat, non ſtatim poſtulaſſet vidẽdam. Ait quidem Iacob, Vidi Dominũ facie ad faciem & ſalua facta eſt anima mea. Sed quomodo eam faciem videndo, ſaluatus eſt, quæ, ſi videatur, occidit? Quomodo & Dominus oſtenderat faciem ſuam, quam videri non poſſe poſtmodum dixit, niſi illa cõditione qua ſupra diximus, in ſpeculo ſcilicet & in ænigmate, in ſomnio & viſione? Hoc eſt ergo illam viſibilem materiam adſumpſiſſe quum placuit, ſtatim verò inuiſibilem perſeuerare: quia

Exod. 33.

Gen. 32.

quia neceſſe eſt, ſi viſibilis docetur, nō ex eo illum eſſe quem inuiſibilem confitemur. Sed hanc adſertionen vt quæſtionibus teſtamēti veteris expediam, de nouo teſtamento ſumā confirmationem. Ait enim Dominus & Deus quum de Patre loqueretur, nulli Patris imaginem viſam: quòd ſi imago Patris ipſe eſt Filius, vt Apoſtolus probat, negat viſibilem fuiſſe, dicendo, nulli Patris imaginem viſam. Et ideo, Nec me, inquit, noſtis neque Patrem meum. Et hîc certè duos confirmat ignotos, tam autem duos quàm inſeparatos. Nam ſi ipſum noſſent, & Patrem noſſent: quia per indiuiduitatem neque noſci neque ignorari alter ſine altero poterat. Similis igitur de mortali & paſſibili ratio ſubſequitur. Nam ſi neq; initium habet Filius, vt pote qui ſemper in eo & fuerit & ſit cui initium non datur: neque viſibilis, qui in ſinu inuiſibilis perſeuerat: iam nec mortalis nec paſſibilis habendus eſt, ex ea tamen ſubſtantiæ parte qua Deus. Scimus enim nihil ſpiritum Dei paſſum duntaxat ſuo nomine: quia impaſſibilis Deus, quia Deus ſpiritus. Scimus quòd omnis illa paſſio propriè carnis & animæ, id eſt hominis, fuit: in quo quidem homine quum pateretur erat & Filius Dei cohærens illi per naturam à quo ve-

Iohan.14.

nerat Patri, & vnitatis vinculum ſeruans in terris hominem geſtabat, nec aberat à cælis. Sic mediator dictus, ſic ſequeſter vtriuſque ſubſtantiæ. Non ergo paſſibilis Deus ſpiritus, licet in homine ſuo paſſus: quem ideo nec in paſſione deſeruit, vt ei pati poſſe præſtaret. Quod niſi ita recipitur, fidei noſtræ ratio nõ ſtabit, dantis ſcilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negat. Nam ſi & initium
" habens dicitur, & viſibilis docetur, & morta-
" lis inducitur, nõ video ab homine quid diſtet,
" in quem regnant huiuſmodi paſſiones. Con-
" fitemur, inquiunt, filium Dei Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem ſacrilegum non poteſt, perfectam fidei catholicæ profeſſionem maligna diſputatione vexare: ſed concedẽdum non eſt vt tollatur nobis illud quod nobiſcum non tenent, per hoc quod nobiſcũ tenẽt. Agnoſcimus igitur & cum veneratione ſuſcipimus communis fidei verba, ſed quid faciemus? Sic veſana Arriomanitarum doctrina tradit. Et ipſa enim, dicens Deum ex Deo, lumẽ ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen: vt ſit Filius ex Patre & non in Patre, hoc eſt vt factus Deus à Deo, non ſit vnigenitus in Deo. Sed quid hic àmplius? quum nõ nullorum ex ijs, qui nuper ad

nos hanc fidem egregiam miſerunt, ſcripta teneantur quibus dicẽtes Deum ex Deo, lumẽ ex lumine, tamen ſeparatum à Patre & penitus exciſum hæretica diſputatione docuerunt. Ipſum inquiunt Filium Dei hominem de Maria ſuſcepiſſe, per quem compaſſus eſt. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente cõceperant ſcriptura confeſſi ſunt, reſpondente ea ſẽſui ſuo, & occulta eorum venena reſerãte: dicentes ſcilicet, Filium Dei hominem de Maria ſuſcepiſſe per quem compaſſus eſt. Primùm nõ video cur maluerint compaſſibilem dicere quàm liberè paſſibilem confiteri. Quaſi verò aliud ſit compati quàm pati. Porro autem ſi impaſſibilis Deus, vtique & incompaſſibilis. Tam ergo compaſſus non eſt, quàm nec paſſus eſt. ex ea tamen conditione qua Deus. Denique Apoſtolus, Paſſus eſt, inquit: ex infirmitate vtique carnis. caro enim infirma, ſpiritus prõptus? Sed viuit ex virtute Dei: vtique ex ſemetipſo. Ipſe enim, Dei virtus, habens vitam in ſemetipſo: quòd credimus Dominum noſtrum ex duabus ſubſtantiis cõſtitiſſe, humana ſcilicet atque diuina: & ita illum immortalem fuiſſe diuina, vt mortalem ea quæ fuerit humana. Ex vna enim natus, ex alia probatus: ex vna immortalis, ex alia mor- 2. Cor. 13.

1.Cor.15. talis. Denique idem Apoſtolus, Chriſtus, inquit, mortuus eſt. id eſt vnctus. Hoc enim nomen ad vnctionem deducitur. Si ergo nõ aliud quàm caro vncta eſt, caro igitur tantummodo mortua dicitur quoties Chriſtus mortuus nuntiatur. Sed ſiquis extorquere è duobus alterum velit, vt aut vnum Deum ſingulariter determinemus ſi vnum fatemur, aut duos liberè proferamus ſi & Patrem Deum & Filiũ Deum dicimus: illud ante omnia ſciatur, nec vnum nos cum præiudicio, nec duos dicere, quia vnum dicimus in duobus, ipſo Domino ſuggerente, Ego & Pater vnum ſumus, vt duo crederentur in vna virtute. Non enim dixit tanquam ex vna perſona Patris & Filij, quaſi Iohan.10. Filio Patrem ſe confirmans, Filius meus ſum, Pſal.2. &, Ego hodie genui me: &, Ante luciferum genui me: &, Dominus condidit me initium viarum mearum: &, Ante ſæcula fundauit me: Iohan.14. &, Ego & Pater vnum ſum: ſed reddens notitiam ſacramenti dictinctione, non diuiſione perſonarum: Ego (inquit) in Patre, & Pater in me: &, Ego & Pater vnum ſumus: & Qui me vidit, vidit & Patrem. videri enim Patris Filius, imago vera & figura expreſſa ſubſtantiæ eius, hoc eſt Dei ſermo, nõ ſonus vocis, ſed res ſubſtantiua ac per ſubſtantiã corpulentiua. Non

enim ſine ſubſtátia cōſtitit quod de tanta ſubſtantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de ſolido. quia Dei ſermo ſpiritus Dei inſtructus eſt, &(vt euidentius dicam) ſermonis corpus eſt Chriſtus. Corpus enim ſpiritus, ſed corpus ſui generis. Nam & inuiſibilis & incomprehenſibilis ſpiritus. Nunquid *Iohan.4.* tamen inane & vacua res Deus? Deus enim ſpiritus eſt. Denique, nemo ſcit (inquit) quæ *1.Cor.1.* ſunt in Deo, niſi ſpiritus qui in ipſo eſt. Legimus quidem, Quis cognouit ſenſum Domini, *Rom.11.* aut quis conſiliarius eius fuit? Nemo vtique, ſed extra ſpiritum ſuum nemo: quem ſpiritum Propheta ſapientem architectum & admirabi- *Eſa.9.* lem conſiliarium dicit: nec immeritò. Nam idem ſpiritus ſermo & ſapientia Dei eſt: ex cuius perſona Salomon, Quum pararet (inquit) *Prou.8.* cælum, ego aderam illi. &, Ego (inquit) erã cum illo, & mihi adgaudebat. Non ergo cõſiliarius nemo, quia per ipſum facta ſunt vniuerſa quæ facta ſunt. Denique quum eadem ſapientia & verbum Dei & ſpiritus Dei ſit, ſingulorum tamen nominum officia nũtiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat, ſermone eius cæli ſolidati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Adparet ergo vnum eundémque veniſſe nunc in nomine ſpiritus,

nunc in vocabulo ſermonis, nunc in appellatione ſapientiæ. Ergo hic ſermo quum in forma Dei eſſet, ſapientia & ratione & ſpiritus ratione & ſpiritus virtute conſtructus, hoc eſt totam vim Dei poſſidens, non ſe Deo Patri adæquauit, ſed formam ſerui accipiens humiliauit ſe vſque ad mortẽ. Induerat enim quod ſeruire, quod mori poſſet: hominem ſcilicet quem excitatum exhibuit ad cælum, vt ſecundus Adam per obedientiam reſtitueret quod primus tranſgreſſione perdiderat. Si qui igitur adhuc & de Apoſtolo requirit dominicum ſtatum, id eſt ſingularis ſubſtantiæ dualitatẽ, quæ per naturam auctori ſuo iungitur, audiat ad compendium quid idem Apoſtolus ſenſerit, quum Dei Patris inueſtigabiles vias & recõdita retro ſacramenta loqueretur. Ex ipſo, inquit, & per ipſum & in ipſo omnia. Quum dicitur Per ipſum, agnoſco Filium ſignificari: legi enim, Per ipſum omnia. Quum, In ipſo, nuntiatur, nihil noui eſt: in ipſo enim omnium ſeminum initia conſtiterunt. Sed quũ refertur Ex ipſo, certè ad Patrem vt ad rerum omnium reſpicitur auctorem. Et ſi ita eſt, vt eſt, quomodo his ratio conſtabit diſtincta iungentibus, hoc eſt referentibus ad vnum omnia, quum alius ſit Ex quo omnia, & alius

Rom. 11.

Per quem omnia? quia alius ingenitus, alius vnigenitus, niſi illa conditione qua rectè dicitur; & Ex Filio omnia, dum in eius corde eſt per naturam ex quo omnia: & Per Patrem omnia, dum in eo ſemper eſt per quem omnia. Pater enim ſenſum agit: Filius verò, qui in Patre videns eſt, ſenſum perficit. Non ergo Apoſtolum temere pronuntiaſſe credendum eſt: ſed illum credendum eſt, ita credidiſſe, Filium ſcilicet Dei ſecundum carnem factum eſſe quod non erat, ſecundum ſpiritum verò eſſe quod fuerit. quia quod fuit ſemper non poteſt non fuiſſe. Tenenda eſt igitur ratio quæ per arduum & anguſtum tramitem repit, circumiacentibus hinc & inde præruptis quæ Zabolica fraude cæcata plana & facilia ſummittunt, vt in ruinam mergant exceſſus. Nam ſi vnum Deum ſingulariter nominamus, excludentes vocabulum ſecundæ perſonæ, furorem eius hæreſis adprobamus quæ ipſum adſerit Patrem paſſum. Si admittimus numerum cum diuiſione, iungimur cum Arrianis, qui factum à Deo Deum nouámque adſerunt ex nihilo ſubſtantiam conſtitiſſe. Tenenda eſt igitur vt diximus regula quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur, quæ, vnam in duabus perſonis ſubſtantiam ſeruans, diſpoſitio-

nem diuinitatis agnoſcit. Igitur Pater Deus, & Filius Deus: quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc ſi cui ſcandalum facit, audiat à nobis ſpiritum eſſe de Deo, quia illi cui eſt in Filio ſecunda perſona, eſt & tertia in ſpiritu ſancto. Denique
Iohan.14. Dominus, Petam, inquit, à Patre meo & alium aduocatum dabit vobis. Sic alius à Filio Spiritus, ſicut alius à Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, vt in Filio ſecunda perſona: vnus tamen Deus omnia, quia tres vnum ſunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus à Prophetis, hoc nobis Euangelia locuta ſunt, hoc Apoſtoli tradiderunt, hoc martyres in paſſione confeſſi ſunt: in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod etiam ſi Angelus de cælo adnuntiauerit, anathema ſit. Sed non ſum neſcius, his omnibus diſcuſſis & in lucem intelligentiæ publicæ propoſitis, antiquiſſimi ſacerdotis & promptæ ſemper fidei Oſij nomen quaſi quędam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulſetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam breui admodum ſermone reſpondeo. Nō poteſt eius auctoritate præſcribi, qui aut nunc errat, aut ſemper errauit. Nouit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua conſtantia apud Sardicā & in Niceno tractatu adſenſus

ſit &

ſit & damnauerit Arrianos. Quod ſi diuerſi nunc ſentit,&quæcunque ab eo retro damnata fuerant,defenduntur,quæ defenſa,damnantur,rurſum dico,nō mihi eius auctoritate præſcribitur. Nam ſi nonaginta ferè annis malè credidit, poſt nonaginta illum rectè ſentire non credam. Aut ſi nunc rectè, quid de his opinandum eſt qui ab eodem ſignati fide in qua tunc ipſe erat,de ſeculo tranſierunt: quid &de ipſo pronuntiaretur,ſi ante hanc ſynodū dormiſſet? Ergo vt ſupra diximus præiudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit,quia contra ſeipſam ipſa conſiſtit. Et ſanè legimus, Iuſtitia iuſti non ſaluabit eum in quacunque die exerrauerit. Amen. Ezech. 33.

P

PARS ACTORVM CONCILII ARELATENSIS PRIMI CATHOLICI SVB CONSTANTINO IMP.

Exemplum epiſtolæ Conſtantini Imp.

CONSTANTINVS AVGVSTVS AELAFIO. Iam quidem ante hac cùm perlatum fuiſſet ad ſcientiam meam, apud Africam noſtram plures væſano furore, vanis criminationibus, contra ſe inuicem ſuper obſeruantiam ſanctiſſimæ legis catholicæ diſſidere cæpiſſe, dirimendæ diſſenſionis huiuſmodi cauſa, placuerat mihi vt ad vrbem Romam tam Cæcilianus Carthaginenſi, Epiſcopus, contra quem vel maximè vniuerſi ſæpe me cõuenerant, quàm etiã aliqui ex his, qui ei quædam obiicienda crediderant, præſentiam ſui exhiberent. Nam etiam ad ſupra dictam vrbem noſtram Romam, quoſdam epiſcopos ex Galliis ire præceperam, vt tam hi pro integritate vitæ ſuæ atque laudabili inſtituto, ſed & ſeptem eiuſ-

dem communionis, quàm etiam vrbis Romæ epiſcopi, atque illi qui cum iiſdem cognoſcerent, poſſent rei quæ videtur eſſe commota, finem debitum adhibere Qui quidem ea quæcunque in prę́ſentia eorum fuerunt geſta, cuncta ad ſcientiam meam, etiam actis habitis retulerunt, verbo inſuper adfirmantes, quod iudicium ſuum pro rerum fuiſſet æquitate depromptum: eóſque potius cauſæ obnoxios eſſe dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putauerunt commouere: adeo vt iſtum poſt iudicium habitum Africam ipſos remeaſſe prohiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æſtimatione ſperauerunt, quod omnibus omnino ſeditionibus & cõtentionibus, quæ aliis hominibus videbantur ſubitò commotæ, finis debitus fuiſſet impoſitus. Sed cùm dictationis tuæ ſcripta legiſſem, quæ ad Nicaſium & cæteros ſuper hiſdem ſimulationibus grauitas tua mittenda crediderat, euidenter agnoui quod neque reſpectus ſalutis ſuæ, neque, quod eſt maius, Dei omnipotentis veneratione̅, ante oculos ſuos velint ponere. ſiquidem ea agere perſiſtant, quæ non modò ad ipſorum dedecus infamiámque pertineant, ſed etiam his hominibus detrahendi, dent facultatem, qui longè ab huiuſmodi ſan-

ctiſſima obſeruantia ſenſus ſuos noſcuntur a-uertere. Nam id quoque te ſcire cõuenit quod ex hiſdem venerunt adſerentes, quod minus dignus idem Cæcilianus cultu ſanctiſſimæ religionis habeatur: & contra id quod iiſdem reſponderam, fruſtra eos id iactare, quippe cùm res fuiſſent apud vrbem Romam ab idoneis ac probatiſſimis viris epiſcopis terminatæ, obnixe ac pertinaciter reſpondendum æſtimauerunt, quod enim omnis cauſa non fuiſſet audita, ſed potius iidem epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, iudicaſſent. Quare cùm hæc tot & tanta nimium obnixas diſſenſiones protrahere peruiderem, ita vt nullo modo finis iiſdem dari poſſe videatur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his qui contra eum diſſident tres aliqui in iudicium eorum qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſúmque debent, ad Arelatenſe oppidum venire, iniungendum ſolertiæ tuæ duxi, vt, mox has literas meas acciperes, tum Cæcilianum ſupra dictum, cum aliquibus ex his quos ipſe delegerit, ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum & Mauritaniarum & prouintiis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putauerint eligendos, ſed etiam aliquos

ex his qui contra eundem Cæcilianum diſſentiunt, data euectione publica, per Africam & Mauritaniam inde ad Hiſpaniam breui tractu facias nauigare: & inde nihilominus huiuſmodi his in ſingulis epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, vt ipſi ad ſupra dictum locum, intra diem kalendarum Auguſtarum poſſent peruenire: celeriter intimaturus iiſdem, vt, antequã proficiſcantur, debeant diſponere, quatenus abſentibus ipſis & diſciplina competens habeatur, & nulla fortè ſeditio vel aliquorum altercantium quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur. De ſecreto plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur. Qui cùm præſentiam ſui exhibuerint, vniuerſi qui nunc in contẽtione eſſe noſcuntur, quíque nõ immerito finem debent accipere maturum, vt protinus poſſint terminari atque componi. Nam cùm apud me certum ſit te quoque Dei ſummi eſſe cultorem, cõfiteor grauitati tuæ quod nequaquã fas eſſe ducam, vt eiuſmodi contẽtiones & altercationes diſſimulentur à nobis, ex quibus forſitan commoueri poſſet ſumma diuinitas non ſolum contra humanum genus, ſed etiam in me ipſum cuius curæ nutu ſuo cæleſti terrena omnia moderanda commiſit, & ſecus aliquid hactenus incitata decernet. Tunc

enim reuera & pleniſſime potero eſſe ſecurus: & ſemper de promptiſſima beneuolentia potentiſſimi Dei proſperrima & optima quæque ſperare, cùm vniuerſos ſenſero debito cultu catholicæ religionis ſanctiſſimum Deú concordis obſeruantia fraternitatis venerari.

Huc etiam pertinet eiuſdem Conſtantini Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum, quæ extat Græca apud Euſebium lib. x. Eccleſ. Hiſtor. Cap. v.

INCIPIT CONCILIVM EPISCOPORVM ARELATE CELEbratum, & directum Sylueſtro Epiſcopo Romanorum.

DILECTISSIMO Papæ Sylueſtro Marinus, Acratius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus, Fauſtinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitauſus, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernus, Fortunatus,

Ariſtaſius, Lampadius, Vitalis & Maternus, Liberius, Gregorius, Creſcẽs, Auitianus, Dafnus, Orantalis, Quintaſius, Victor, Epictetus, in Domino æternam ſalutem. Communi copula caritatis, & vnitate matris Eccleſiæ catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatenſium ciuitatem piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, inde te,glorioſiſſime Papa, commerita reuerentia ſalutamus. Vbi graues ac pernicioſos legi noſtræ atque traditioni, effrenatæque mentis homines pertulimus, quos & Dei noſtri præſens auctoritas & traditio ac regula veritatis ita reſpuit, vt nulla in illis aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſãdi modus vllus, aut probatio conueniret. Ideò iudice Domino & matre Eccleſia, quæ ſuos nouit & cõprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi. Et vtinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum interfuiſſes, tanti feciſſes, profectò credimus, quia in eos ſeuerior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum iudicante cœtus noſter maiori lætitia exultaſſet. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione, Dei gloriam teſtatur: Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater chariſſime, ad quæ fueramus in-

uitati, ſed & conſulendum nobiſmetipſis cenſuimus: & quum diuerſæ ſunt prouinciæ ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt quæ nos cenſemus obſeruare debere. Placuit ergo præſente Spiritu ſancto & Angelis eius, vt & his qui ſingulos quos monebat iudicare, proferremus, de quiete preſenti. Placuit etiam antequã ante qui maiores diœceſeos tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari. Quid autẽ ſit quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubiunximus. Ad id primo in loco de vita noſtra atque vtilitate tractandum, fuit vt qui vnus pro multis mortuus eſt & reſurrexit, ab omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſeruetur, ne diuiſiones vel diſſenſiones in tanto obſequio deuotionis poſſint exſurgere. Cenſemus ergo Paſcha Domini per orbem totum vna die obſeruari. De his quoque qui quibuſcunque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeuerent. De his etiam agitur qui arma in pace proiiciunt, placuit abſtineri eos à communione. De Circilſariis agitatoribus qui fideles ſunt: placuit eos quandiu agitant, à communione ſeparari. De theatricis, ipſos placuit, quandiu agunt, à & communiõne ſeparari. De his qui in infirmitate ſunt conſtituti recedere volunt, placuit eis manum

num imponi. De præſidibus autem qui fideles ſunt & ad præſidiatum conſiliunt, ita placuit: vt cùm promoti fuerint, literas quidem accipiant eccleſiaſticas cõmunicatorias, ita iamen vt in quibuſcumque locis geſſerint ab epiſcopis eiuſdem loci, cura illis agatur, & ſi cœperint contra diſciplinam agere, tunc demum à communione excludantur. Et de his quidem qui in repub. agere volunt ſimiliter. De Africa autem quòd propria ſua lege vtuntur, vt rebaptizent, placuit vt ad eccleſiam ſi aliquis hæreticus venerit, interrogẽt eum ſymbolum: & ſi peruiderint eum in patre & filio & ſpiritu ſancto eſſe baptizatum, manus tantum ei imponãtur: Quòd ſi interrogatus ſymbolum, non reſpõderit Trinitatem hanc, merito baptizetur, &c. Tunc Tædiano iuſſit omnes ad ſedes ſuas redire. Amen.

Exemplum epiſtolæ Præfectorum Prætorio ad Celſum vicarium.

P*Etronius Annianus & Iulianus, Domicio Celſo vicario Africæ.* Quum Lucianum Capitonem, Fidentium & Naſutium epiſcopos, & Mammarium presbyterum, qui ſecundum cæleſte præceptum domini Conſtantini, ma-

Q

ximi, inuicti, ſemper Auguſti ad Gallias cum alius legis eius hominibus venerant, dignitas eius ad lares proprios venire præcepit, angarialē his cum annonaria cōpetentia, vſque ad Arelatenſem portum ſecundum imperatum æternitatis eiuſdem clementiſſimi principis, dedimus, frater, qua inde Africam nauigarēt. Quòd ſolertiam tuam literis noſtris ſcire conueniat. Optamus te, frater, feliciſſimum bene valere. *Hilarus princeps obtulit iiij KL. Maias, Triberos.*

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ DE TRINITATE QVÆ IN VETERIBVS MEMbranis *S. Martino Turonenſ. Epiſcopo adſcribitur.*

CLÉMENS Trinitas eſt vna diuinitas. Vt autem per Sacramentum cognoſcatur, vnitas eſt ab eo qui eſt, Spiritus ſanctus, à quo qui eſt, & vnigenitus: ſic exiſtens diuinæ naturæ, lucis, ſpiritus, à ſeſe per naturam, per ſubſtantiam maieſtatis, poteſtatis, virtutis, diuinæ lucis, vnus in duobus, & vterque in idipſum. Pater in filio, filius in patre, vterque in ſpiritu Sancto, ſic tribus perſonis confitemur corpus præſcientiæ, quod ſuper omnia, cuncta concludit. In hoc myſterium ergo credimus, eſſe ex nullis extantibus cuncta orta. Quod myſterium mens humana concipere non poteſt, nec oratoria lingua enarrare, neque diffuſi ſermonis bibliothecarum volumina. Si totum mundum libri repleant, diuina ſcientia non poſſit inenarrabilis enarrari: qui eſt indicibilis, nullo modo poſſit deſcribi, neque cõcludi aut verbum aut ſubſtantia propria diuinitatis ſuæ, qui eſt fons diuinæ lucis, luminis

ſubſtantiæ ſua natura. Sileat lingua oratoria, quia deficit ſermo de indicibili. Cùm conſummauerit mens humana de diuina maieſtate dicere aut diſſerere, tunc incipit. Quanta ſit autem diuina clementia, nemo ſcit, niſi qui genuit, & nemo comperit ſecreta Patris, niſi is qui per naturam naſcendi initium amiſit. Omnis ergo manſuetudo & modeſtia peritorum conuertatur ad Prophetam: de dominica auctoritate præſumat dicendo: Credidi, propter quod locutum ſum. Quod autem per myſterium ſimplex ſit profeſſio, vt fundamẽtum Eccleſiæ ſolidatę Apoſtolica auctoritate, prædeſtinatio ſequẽs præſumat, dicens: de cætero nemo mihi moleſtus ſit: Ego credo in Chriſtũ & hunc crucifixum: quia cũ confitetur filiũ hominis, confitetur & Spiritum ſanctum: quia è ſpiritu Sancto & Maria virgine mediator naſcitur. Cùm confitetur primogenitum, neceſſe eſt de vnigenito qui teſtimonium dicat, vnum & ſolum ſine origine eſſe, in tertiã perſonam patrem confitetur exiſtentis diuinę naturæ lucis, ſpiritus, vt dixi, qui ſecundum naturam, vt ſuprà dixi, eſt vnus in duobus, & vterque in idipſum, Pater in Filio, Filius in Patre, Pater in Spiritu ſancto, vnum in ſancta Eccleſia, nunc & in immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

EX LIBRO GENNADII PRESBYTERI MASſilienſis de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

FAVSTVS *ex abbate Lerinenſis monaſterij apud Regiũ Galliæ Epiſcopus factus, vir in diuinis ſcripturis intentus ſatis ex traditione Symboli occaſione accepta, compoſuit librum de Spiritu ſancto, in quo oſtendit eũ iuxta fidem patrum & cõſubſtantialem & coæternalem eſſe Patri & Filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium de gratia* Dei, *qua ſaluamur. In quo opere docet gratiã Dei ſemper & inuitare & præcedere & adiuuare voluntatem noſtram; & quicquid ipſa libertas arbitrij de labore piæ mercedis acquiſierunt, non eſſe proprium meritum, ſed eſſe gratiæ donum. Legi eius & aduerſus* Arrianos *& Macedonianos paruum libellum, in quo coëſſentialem prædicat Trinitatẽ: & alium aduerſus eos, qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum; in quo & diuinis teſtimoniis & Patrum confirmat ſententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum. Eſt & eius epiſtola in modum libelli, ad* Diaconum *quẽdam Græcum nomine edita, qui à fide Catholica diſcedens àd Neſtorianã abiit impietatem: In qua epiſtola admonet eũ*

credere. S. Mariam Virginem non hominem purum genuiſſe, qui poſtea diuinitatem ſuſciperet, ſed Deũ verum in homine vero. Sunt verò eius & alia ſcripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui. Viua tamen voce egregius doctor & creditur & probatur: ſcripſit poſtea & ad Felicem præfectum prætorij, & Patriciæ dignitatis virum, filium Magni Conſulis iam religioſum, epiſtolam ad timorem Domini hortatoriam, cõuenientem perſonis, pleno animo pœnitentiam agere diſponentium.

FAVSTI REGII GALLIÆ EPISCOPI DE RATIONE FIDEI AD OBIECTA *quædam reſponſio.*

QVID reſpondendum eſt his, qui legentes in Euangelio: Pater maior me eſt, ita intelligunt, Filium in diuinitate, minorem eſſe, blaſphemant? RESP. Secundum auctoritatem omnium ſcripturarum duæ ſunt natiuitates in Chriſto, vna ex patre initium neſciens, quia legimus, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: & qui in principio erat, intra ſe cõcludit omne principium. Ex matre verò initium ſumpſit, ſicut legimus per Eſaiam: Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus, id eſt, latens in humana fragilitate maieſtas, ſicut in Ioanne Euangeliſta legimus: Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. in nobis, id eſt in fragilitate corporis noſtri. Item de Mariæ virginis generatione: porta e-

rat clauſa, & non eſt aperta, tãquam ſi interrogaretur cur aperta non eſſet, adiecit, quia dominus tranſiuit per eam. Porta clauſa, id eſt, ſignaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. Non enim violata eſt partu quæ magis eſt ſanctificata conceptu, quæ abſque omni peccato concepta eſt in vtero. Item de Chriſti gemina Dei hominiſque ſubſtantia. Et erunt inquit, duo in carne vna, id eſt, Deus & homo vnus Chriſtus, quod Apoſtolus de Chriſto & eccleſia id eſt de Chriſti corpore præcepit intelligi, ſicut ait: Et erunt duo in carne vna. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia, quod apertè expoſuit ad Romanos: Patres noſtri, ex quibus Chriſtus ſecundũ carnem, adſerit hominis carnem, conſequenter adſerit partes Dei dicens: Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Tam perfecta hic filij eminentia declaratur, vt dici de patre maiora non poſſint. Nam ſi initium haberet, non eſſet ſuper omnia, ſed inter omnia, quæ pro conditione facturæ intra initium continentur: ſed Chriſtus, quia æqualis eſt patri, nulla temporis, nulla ætatis lege cõcluditur. Euidenter & ad Philippenſes Apoſtolus duas Chriſti natiuitates & duas ſubſtantias prædicat dicens: Qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit. Quibus

bus regulis plena ſunt volumina noui & veteris teſtamenti. Similiter & Iob prædicat eximius propheta, Et in carne mea videbo Deum. Quod de illo tempore prophetauit, quando Chriſti Deitas habitu noſtræ carnis induta eſt. Quia ergo vt præfati ſumus, verbum caro factum eſt, & duos eſſe conſtat, hominem & Deũ in carne vna, modò homo loquitur patri, modò Deus; modò viſibilis ex matre, modò inuiſibilis ex patre: da verba hominis. Ipſe in Euangelio dicit: filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Oſtendat hic pauper filius hominis diuitias ſuas in gloria diuinitatis: Omnia, inquit, quæ pater habet, mea ſunt. Dum dicit omnia, nihil hîc reliquit, quo minus haberet à patre omnia, id eſt, vnius deitatis potentiam, ſubſtantiam, maieſtatem. Quis eum minorem dicere non tremiſcat, qui ſe patri generaliter & per omnia veridicus teſtis exæquat, ſicut de eo Euangeliſta pronuntiat: Ideò volebant Iudæi eum interficere, quia patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Et ad Philippenſes: nõ rapinã arbitratus eſt ſe æqualẽ Deo, id eſt æqualitatẽ diuinitatis quã rebellis angelus aſſumere voluit per rapinã, Chriſtus poſſidet per naturam. Cùm ergo credis ei, cùm ſe in hominis ſubſtãtia dicit mi-

norem, crede ei cùm ſe in diuinitatis ſubſtantia profitetur æqualem. Loquatur filius hominis: Pater, inquit, maior me eſt. Loquatur filius Dei: ego & pater vnum ſumus. Quaſi homo eſurit, quaſi Deus quinque millia eſurientium quinque panibus obſequio creaturę ſuæ exſatiat. Quaſi homo in cruce pendet, quaſi Deus in paradiſum de cruce latronem, geſtis per omnem mundum loquentibus, introducit, dicens: Amen dico tibi hodie mecũ eris in paradiſo. Quo tempore corpus Domini in tumulo fuit, anima in inferno, diuinitas in paradiſo, in cælo, & vbique intra ſe omnia ſupereminenti maieſtatis immenſitatem complectens, ſecundum hominem minor dicitur, quando comprehenditur, flagellatur, crucifigitur, moritur, ſepelitur, ſecundum Deum per virtutem reſurrectionis in cæleſtia ſublimatus. Quaſi homo ſuſcepta morte; quaſi Deus ſuper mortem. Secundũm hanc regulã modò pauper eſt, modò diues; modò minor, modò æqualis; modò dominus, modò ſeruus. Tunc ergo minor patre credatur, quando angelorum conditor, paulominus ab angelis minoratur ſicut in octauo Pſalmo legimus: minoraſti eum paulominus ab angelis. Tunc ergo patre minor dicatur, quando ſerui formã ſuſcepiſſe perſcribitur, quando etiam matre

iunior inuenitur, quãdo de ſeipſo in viceſimo primo pſalmo dicit: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Quòd ergo minor patre ſecundum carnem, & ſecundum hominem nuncupetur, innumeris ſcripturarum teſtimoniis declaratur. De eius diuinitate ita Apoſtolus ad Titum dicit: apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri. Et iterum: ſpectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Immane piaculum eſt, vt per infideles hominum blaſphemias minor eſſe dicatur, quem magnum Deum ipſa veritas profitetur. Nam & Thomas Apoſtolus in Euangelio Ioannis, vbi poſt reſurrectionem corpus hominis crucifixi per clauorum ſigna cognouit, DEUM qui intra hominem latebat Apoſtolica & Euangelica auctoritate confeſſus eſt, ita dicens: Dominus meus & DEUS meus. Si fides adſit, aperta eſt ratio, qua Chriſtus nunc minor, nunc æqualis patri ſacris voluminibus aſſeratur, ſicut ipſe de ſe dicit: Ego primus & nouiſſimus. Indubitanter agnoſce, quòd priorem nõ poteſt habere qui primus eſt. Item: Ego ſum α & ω. Et ſicut α literam nulla præcedit, ita & filium Dei nulli ſecũdum conſtat eſſe, quia Deus eſt. Quid reſpondebimus eis qui Spiritum ſanctũ

ducunt minorem Deum, aut, quod ſceleratius eſt, miniſterialem magis quàm Deum abrupta impietate pronunciant? Quomodo creatura dicetur, qui Domini creator ex Maria cõprobatur, ſicut legimus, Conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Chriſtus enim non de ſubſtantia Spiritusſancti, ſed de potẽtia, nec de generatione, ſed iuſſione & benedictione conceptus eſt. Et ſicut à Patre, ita etiam à Spiritu ſancto, ad redemptionem noſtræ malitiæ deſtinatus eſt, ipſo de ſe per Eſaiã loquente: Miſit me pater & ſpiritus eius. Si Spiritus ſanctus minor creditur, quomodo ſe Filius, ſicut à Patre, ita etiam à ſancto Spiritu miſſum eſſe teſtatur? Spiritus ſanctus ipſe locutus eſt in Apoſtolis, ipſe efferbuit in Prophetis, dicente beato Apoſtolo Petro in epiſtola ſua: non, inquit, ex hominibus allata eſt Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et ſaluator in Matthæo ita ait ad diſcipulos ſuos: Non, inquit, vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus. Similiter & Dauid plenus Spiritu ſancto, & qui per eum loquebatur, manifeſta voce pronuntiat dicens: audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Quando ergo vaſa Dei Spiritu ſancto ebria loquuntur & dicunt: Hæc dicit

Dominus Deus, vel Deus Deorum Dominus locutus eſt, hunc Dominum Deum Spiritum ſanctum manifeſtum eſt. Et ad Corinthios Deum eſſe Spiritum ſanctum euidenter oſtendit, dum dicit: Vos eſtis templum Dei. Et quis eſſet hic Deus, conſequenter edocuit ita dicens: Spiritus, inquit, ſanctus habitat in vobis. Deus ergo templi, & Spiritus ſanctus habitator templi vna perſona eſt. Et in Actibus Apoſtolorum Petrus euidenter de ſancti Spiritus deitate ita ad Ananiã dicit: Quis te mentiri compulit Spiritui ſancto? non es, inquit hominibus mentitus, ſed Deo. Quid tam euidens? Ecce Deo votum promiſiſſe memoratur, & Spiritui ſancto mentitus arguitur. Si Spiritus ſanctus Deus non eſſet, minimè ad eũ ſacrilegæ falſitatis iniuria perueniſſet. Item ad Corinthios Apoſtoli vox eſt: neſcitis quia mẽbra veſtra templũ ſunt Spiritus ſancti? Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Illum vtique Deum portare præcipiuntur, cuius tẽpla eſſe perhibentur. Quid reſpondebimus his qui dicunt: Non poteſt nõ prior eſſe pater, qui prior in baptiſmo nominatur? RESP. Et Spiritus ſanctus primus eſt, ſine quo primum nominaſſe non ſufficit. Nec numerum autem, nec ordinem recipit qui in trium ſub-

ſtantia vnus & ſolus eſt.

Quid reſpondebimus eis qui impio ore blaſphemant dicentes: Ideò ſanctus ſpiritus non eſt Deus, quia nihil operatus eſt quaſi Deus? RESP. Videamus ſi in operibus eius nihil diuinitatis appareat. Primo loco peccatorum remiſſio non tribuitur, niſi ſanctus ſpiritus inuocetur. Et quia peccata ſine ſancto ſpiritu non condonantur, etiam de ipſo apertiſſimè dictum eſſe nouerimus: Nemo poteſt dimittere peccata niſi vnus Deus. Quem ergo reparatorem hominis vides, auctorem hominis eſſe nõ dubites: ipſe imprimis abſque peccato hominem fecit, qui in ſecundis à vinculo peccati hominem cum patre & filio regenerator abſoluit. Vide quomodo Apoſtolus in epiſtola Corinthiorum, opera ſpiritus ſancti, vertutéſque concelebrat, ita dicẽs: Vnicuique autem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia curationum in vno ſpiritu, alij genera linguarum, operatio virtutum alij prophetia. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Et quomodo dicimus, miniſterialis eſt, qui miracula tantorum chariſmatum arbitrio propriæ volũtatis, & iure do-

minationis exercuit? De quo ſub Trinitatis diſtinctione legimus per Prophetã: Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ei⁹ omnis virtus eorum. Spiritu oris dixit Propheta, non operis, vt eum tanquam de ſubſtantia patris noueris proceſſiſſe. Et ideò dicit ſpiritus, qui ex patre procedit: ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum virtutes, id eſt, angelos, dominationes, thronos ac principatus: ſicut per patrem & filium, ita etiam per ſpiritum ſanctum veritas loquitur. Non ergo ſine immani ſacrilegio creaturam dixeris, quem totius cæleſtis militiæ perſpicis creatorem. Secundum hæc in trium proprietate ac numero perſonarum, vnam potẽtiam, vnam gloriam, vnam cognoſce naturam, ne cum Iudæis ac Patripaſſianis ſine tribus perſonis, filium aut ſanctum ſpiritum neges, aut ſine vna ſubſtantia; cum Gentilibus tres deos credere comproberis.

FAVSTI CONTRA NESTORII ERROREM AD G. DIACONVM.

Aliàs Gregorio

Domino ſancto & in Christo deuinctiſſimo fratri G R E G O. *Diac. Fauſtus.*

HONORATVS officio tuo, honoratus iudicio, prouocatus affectu, loquar tecum in humilitate ſincera, in libertate beneuola, in charitate non ficta, in verbo veritatis. Et licet mihi tacendi cauſam indicere potueris, dum benigno ac nimis credulo animo tantũ pœnę mihi quantum tibi peritiæ & eruditionis indulges: tamẽ per interrogandi ſollicitudinem impoſuiſti mihi reſpondendi neceſſitatem quæ cum abſente non ſine trepidatione mihi æſtimo colloquendum: quia de rebus tam profundis & meas ac tuas vires excedentibus non minus periculi eſt reſpõdere, quã incondito ſtilo ingentia ſacramẽta committere: & ideo Carum meum in his quæ nimis temerè protulit tacendo magis caſtigare debuiſſem. In tantę autem rei conſultatione, in qua longè viam regiam reliquiſti, aliquos expertæ ſcientiæ viros

ros eruditione atque ætate ſeniores, quibus credere facilius poſſis, interrogare debueras, ſecundum illud Propheticum: Interroga patrem tuum & indicabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi. Deinde in his quæ agimus, vel quæ dicimus, atque ad extremum ſcriptis mandare præſumimus, fructum profectúmque operis expectare debemus. In hac autem ſcriptura quam ad me dirigere dignatus es, non eloquentia, non ſcientia, non ratio, non ædificatio aliqua ordinati aut compŭcti ſermonis apparet, ſed teſtimonia confuſiſſimè pro memoriæ facilitate congeſta temeritatem incauti cordis accuſant. Nouit Dominus quia ſtupefactus pręſtudio tuæ ſalutis hęc colloquor. ſic & te interrogaſſe & me reſpondiſſe ad bonum commune proficiat. In ſcriptis ſancti Pontificis Auguſtini etiamſi quid putatur apud doctiſſimos viros eſſe ſuſpectum, ex his quæ damnanda iudicaſti, nihil noueris reprehenſum, ſed fidei ſenſum, maximè de duabus ſubſtantiis vel naturis Dei & hominis domini ac redemptoris noſtri, ſcito apud Catholicam, non ſolùm patrum auctoritate ſuſceptum, ſed etiam Apoſtolicis oraculis conſecratum. Proinde verbum hoc quod more Prophetico ad te factum dicis, vt certum eſt non

Dei ſpiritu & apud Deum & apud homines valde damnabile eſt, niſi prior ipſe damnaueris. Ergo vt aliis prætermiſſis hunc duplicem errorem & de hæreſi natum & in pericula hæreſis pertrahentem breui quantum abſentem poſſum ſermonem conſtingam, cùm ſanctæ ſinceritati tuæ multorum, nō qualis ego ſum, neceſſaria eſſet præſentia magiſtrorum: primo loco ignoranter & ſatis periculosè non dicam ſcribitur, ſed cogitatur, ſuſcipi non debere, vt homo mater Dei ſit, quod de Neſtorianæ hæreſis impietate deſcendit, qui prophano auſu diſputare non timuit beatam Mariam tantum matrem fuiſſe hominis, nō etiam Dei. Et ideò pro hac Catholicæ per omnem mundum Eccleſiæ diſtinctione damnatus eſt. Non debet, inquit, ſuſcipi, vt homo mater Dei ſit, ſed vbi eſt illud propheticum vel euangelicum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomē eius Emanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus? Et iterum in Euāgelio: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Vbi etiam illud eſt quod ſuſcepta per omnes inſulas & Eccleſias patrum ſignat auctoritas contra Neſtorium loquēs? Maledictus, inquit, qui filium Dei Deum verum de Maria non nuper natum pro noſtra ſalute non cōfitetur,

ſecutum eſt vt diceres Dei & hominis vnam eſſe naturam, hoc modo vnam Dei eſſe ſubſtātiā. Rectè dixeras, ſi de ſola Trinitate dixiſſes, vbi vna atque eadem eſt, ſub trium perſonarum diſtinctione natura. Cæterū cùm ad hominis aſſumpti incarnationem venitur: ſicut hominis & Dei vnam confitemur eſſe perſonam, ita duplicem ſcimus eſſe ſubſtantiā. Qui autem vnius naturæ aſſerit Deum redemptorem, aut hominem in diuinitate aut Deum negauit in corpore, cùm redemptio noſtra non ex alterutro, ſed ex vtroque perfecta ſit. Hoc autem loco vnū ſine alio erroris periculo noſtræ ſi Dei ſolius noſtri eſſe naturam. Ergo in ſubſtātia maieſtatis ſuæ diuinitas crucifixa eſt. Si vnam Dei ſolius naturam dicis, in ſubſtantia ſua maieſtas mortua vel ſepulta eſt: quæ omnia Deus non in ſe, ſed in natura ſuſcepti hominis excepit. Nihil enim Deus ſenſit cum patiētis ſenſu, ſed ſenſit cum patientis effectu: nihil ſenſit pro diuerſitate ſubſtantiæ, ſed ſenſit pro vnitate perſonæ. Vnitate coniunxit, & conſequenter adiecit: Nos vnum eundémque verum hominem & verum Deum intelligimus. Et iterauit: Nos verum Deum & verū hominem nullo modo ambigimus confitendū. Accipe etiam in hymno ſancti antiſtitis & cō-

feſſoris Ambroſij, quem in natali Dominico, Catholica per omnes Italiæ & Galliç regiones perſultat Eccleſia: Procede de thalamo tuo geminæ gigas ſubſtãtiæ. Refuge ergo inter hæc ſanctæ frater alterutræ partis errorem, ſi tantũ Dei naturam dixeris, impoſuiſti Deo conditionem paſſionis & mortis: ſi verò tãtum hominis naturam dixeris, ſubſtraxiſti Deo gloriam redemptionis, ſubſtraxiſti auctori potẽtiã reparatoris. Audi quomodo ſacra eloquia per vnam perſonam explicant vtramque ſubſtantiam. Iuxta diuinam naturam loquitur: Ego & pater vnus ſumus. Secũdum humanam naturam confitetur: quia pater maior me eſt. Iuxta cæleſtem naturam pronunciat: Omnia quæ pater habet, mea ſunt. Iuxta terrenæ naturæ infirmitatem dicit: filius autem hominis nõ habet vbi caput reclinet. Quaſi homo indicabat: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quaſi Deus conteſtabatur: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Secundum carnis naturam in cruce pendebat: ſecundum diuinitatis ſubſtantiã, paradiſum & regnum cçleſte donabat. Hoc Arriani obſcurato corde penitus non videtes, quia præſumptio & elatio ſuffundit mẽtis intuitum, ad Deum quæ erant hominis retule-

runt:credentes quod minor loqueretur diuinitas, vbi ſola hominis demonſtrabatur infirmitas: Nullam ponentes inter cæleſtia & terrena rationem, dum naturas in Deo & homine duas recipere nolunt, Dei ſubſtantiam diuiſerunt. Et dum ad ſola hominis verba reſpiciunt, Deum qui gloriæ plenitudo eſt, intellectus lumine perdiderunt. Ac ſic qui Deum filium hominis credendum denegat, Neſtorij impietate maculatur: qui duas ſubſtãtias in redemptore non credit, Arrij laqueo deceptus inuoluitur. Nos verò, mi frater cariſſime, in Chriſtum Deum ita perfecta & inſeparabili diſtinctione credamus, vt Dei & hominis ſimplicem perſonam, & duplicem nouerimus eſſe ſubſtantiam. Sicut anima & corpus hominem facit, ita diuinitas & humanitas vnus eſt Chriſtus. Tu autem quòd gemino errore præuentus ſcribẽdum putaſti, ſub duarum naturarum conuentu ſuſcipi non debere, vt Deus pater hominis ſit, vt homo mater Dei ſit: nos vnam Dei hominiſque perſonam fiducialiter & ſalubriter aſſerentes, in eo qui erat in principio, & qui ſub redemptionis noſtræ tempore factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, id eſt in veritate hominis & ſimilitudinem peccatoris: Nos inquã ita Deum patrem hominis ſub-

perſonæ vnitate teſtamur, ſicut ſub eiuſdem vnitatis amplexu matrem Dei hominem cõfitemur, iuxta ſymboli auctoritatem vt alia prætermittam, quia dicimus: Credo & in filiũ Dei IeſumChriſtum, qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto natus ex Maria virgine. Qui ſi talis error eſt in Domino Saluatore, vnam & ſimplicem credidiſſe ſubſtantiam, qualis error eſt duplicem aſſeruiſſe perſonam? Nam ſi in ſocietate carnis aſſumptæ formam famuli Deus induit, duæ ſubſtantiæ non fuerunt. Ergo in homine Deus non fuit, & ſeparata à Deo perſona hominis fuit. ac ſi ſub tali ſenſu videbis ſubitò quartam neſcio vnde accreuiſſe perſonam: & in hunc intellectum prauitatis conſequentia præcipitaberis, vt iam non Trinitatem neceſſe ſit confiteri. Audi potius quemadmodum beatus Eſaïas diſtincto ordine coniunctóque diſcrimine Domini noſtri ac redemptoris natiuitatem diſponat: Paruulus, inquit, natus eſt nobis: filius datus eſt nobis. Accipe filium Dei in extrema parte ſæculorum ex innupta matre, natura ignorante & fide maritante progenitum, ſuperueniente in virginem ſancto ſpiritu hominem Deo mirabiliter impletum, & Deum in hominem miſericorditer commutatum, nec exinaniſſe glo-

riæ magnitudinem: ſed per ſuſceptam ſerui conditionem Domini oſtendiſſe pietatem. Paruulus natus eſt nobis: filius datus eſt nobis. Natus eſt qui ſibi erat. Datus ergo ex diuinitate, natus ex virgine, natus qui ſentiret occaſum, datus qui neſciret exordium. Natus qui & matre eſſet iunior: datus à quo nec pater eſſet antiquior. Natus qui moreretur: datus per quem vita renaſceretur: illic dominatur, hîc humilitatur. Sibi regnat, & mihi militat. Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius. Manifeſtum hominem demonſtrat humerus: latentem Deum loquitur principatus. Agnoſce duplicem ſub perſonæ vnitate ſubſtātiam. De noſtro eſt, quod appendit, de ſuo eſt quod donauit. De noſtro habuit vnde caderet, de ſuo vnde conſurgeret. De noſtro habuit, vnde pro nobis ſolueret, de ſuo vnde penitus in nullo debito appareret. De noſtro vnde crucifigeretur, de ſuo vnde glorificaretur. De noſtro dedit peccati hoſtiam, de ſuo indulgentiæ tribuit gratiam. De noſtro itaque humiliatio, de ſuo eſſe probatur aſcenſio. De noſtro obtulit ſacrificium, de ſuo contulit præmium. Duarũ ergo naturarum capax homo infirmitatibus agnoſcitur, Deus virtutibus approbatur. Piget

ſermonem tam manifeſtæ rei aſſertione producere. Scio quod hæc ipſa breuiter ſtrictímque commemorata temerè cõmitto, vel meis epiſtolis, vel ſenſibus tuis. Sed dum te ad interrogationis ſalubritatem ſollicita humilitate ſubmittis, multum mihi de erroris huius remedio polliceris. Reuoca quæſo ab hoc diſcrimine pedem tuum, priuſquam in profundum inreuocabile, elationis torrente rapiaris: & rectũ animi ſenſum, qui multæ elationis põdus non ſuſtinet, nec nouit theſaurum ſcientiæ diſpenſare, magis laboris occupatione caſtiga. Tempera immoderatum abſtinentiæ rigorem, qui etiam mẽti generat infirmitatem, quem puto inde naſci vnde ſcribẽdi præſumptionem. Regredere ad viam regiam, nutricẽ elationis. Refuge ſollicitudinem: & quia legimus: Manducare mel multum non eſt bonũ. Magis enim inflat parum fundatum ſenſum ſcientia, quã ædificat: ita caue nimiam lectionem vt cordi parum capaci, tanquam ſumpti immoderatius vini periculoſã noueris ebrietatem. Nunquam cogitationibus tuis credas, ſed magis imitanda legas quàm legenda conſcribas; & in mente tua loquaris ad Dominum: In corde meo abſcõdi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et ſi euadere pericula non de foris

ingruentia

ingruentia, ſed intus concepta deſideras, nihil tibi vtilius ſcias, quàm vt ſub alio quocunque probatiſſimo abbate vitam tuam mũnias, ac voluntates tuas ſenioris legibus tradas. Et vt aduerſarij inſidias poſſis ſuperare, te ſcripturulam ipſam retinendam, imò ſupprimendam putaui: ne vltra in alterius alicuius catholici qui te minùs diligeret, manum & conſcientiã veniret. Ex hoc autem poteris agnoſcere ſana eſſe intima cordis tui, ſi adhuc quaſi liber me cultorem tuum humiliter & amabiliter commonentem ſollicitè & libenter audieris. Ante interrogationem incauta videbitur fuiſſe perſuaſio: poſt reſponſionem inexcuſabilis apparebit intẽtio. Quòd ſi inter hæc aliquid mihi, qui auſteris magis quàm dulcibus ſanari animam tuam cupio, credideris imputãdum; memento oſculis malè blandientis præponi vulnera charitatis.

FAVSTI DE VARIIS QVÆSTIONIBVS AD PAVLINVM.

Epiſtola Paulini ad Fauſtum.

DOMINO Patri &patrono Fauſto Papæ Paulinus. Scribere vobis hinc retinet metus, inde compellit affectus, atque inter vtrumque ita mens incerta iactatur, veluti cùm temerarius nauta dubiæ cõmittit vela fortunæ. Sed ego qui in te certum habeo portum, aſſumo mihi ſæpe incerti curſus euentum. Elegi tamen vt potius faſtidium generem, quàm reatum. Agnoui enim optimè quòd epiſtolas meas ſine faſtu dominus meus Fauſtus excipiat. Sed quia dominus meus Marinus Heremita vir ſanctus & nimia diſtrictione metuendus, tanta mihi indixit, grandi ſeueritate & timore percunctator, omnia quæcũq; pòteſt criminoſus exerceo. Cùm diem humanæ ſortis impleuero, pœnitentiam ſubitam ſum conſecutus; ſi excludat pro parte peccatum, an ad integium cupio cognoſcere; aut ſi vnitam credẽtes trinitatem perpetuis

pœnis atque cruciatibus, flammis tormentíſque omnibus, pro corporalibus vitiis,nō peccantes in ſpiritu, torqueantur. Mea hæc ſententia eſt, quod ſi omnia hæc Chriſtianus excipiat,nihil ſuſcipere valet Arrianus;aut vtrum anima vinculo ſecluſa corporeo, cuſtodia alia qua mancipetur,an carcere clauſa teneatur,aut vtrū in aura incerta iactetur. Et quia ſcio quod in ea hora omnis cogitatio perit,ſi admittitis, dignanter interrogo, vtrum & bona & mala cogitatio de anima quæ probatur immortalis eſſe,diſcedat; an aliqui ſenſus intellectúſque ſeruetur, aut vtrum aliquid dehoneſtum ſentit affectum.Et quia bonis ſcimus vniuerſa cōcedi, vt etiam ampliora viuis poſſint præſtare poſt mortem,malis quid aut datur aut dabitur agnoſcā, aut ipſa anima corporea melius vocetur,edoceat.Et quia caro infirma eſt,ſpiritus autem promptus:quam peccati communionē anima pro corporali errore ſuſcipiat,ſcire ignarus exopto,'aut quæ eſt immortalis, quomodo pro mortalibus vitiis torqueatur; vel vtrū anima & ſpiritus idē ſint,aut quomodo ſegregentur,agnoſcam.Nam prædictus ita me ſub ſacramenti etiam interpoſitione conterruit, quòd qui corporalibus vitiis occūberet, nullam poſſet veniam promereri, ſed in iiſdem

ſeruatur ipſa reſurrectione ſuppliciis: nec poſſit expiare infernalibus tormentis, quod corporalibus vitiis concreta contraxerat. Tamen ita miſerrimus credo, quòd qui ſemel ſuſceptũ ſignum diuini nominis & infixum fronti caracterem Domini noſtri nunquam mali ſibi conſcius vel ſubdolus falſator infregerit, ſuſceptis leuiter pro expiando errore tormentis, parum aëreum ſenſum & ſimplicis animæ ignẽ dies cõſumpta producat. Nam ſi vniuerſa hæc quæ interminatur dominus meus Marinus, excipimus peccatores, quid magis impij mereantur, ignoro. Da veniã quod pietati veſtræ iniuriam moueo, dum doceri à magiſtro veteri, nouus quãdoque diſcipulus futurus exopto.

Incipit epiſtola ſancti Fauſtini ad Benedictum Paulinum.

ADmiranda mihi ſemper tuarum pagina literarum nunc abundantius gemina eloquij & fidei luce præfulſit, dum ſuper ſtatu animæ cogitás, timore ſollicito iudicia futura ſuſpirat. Ait quodam loco ſermo diuinus: Rectè interroganti ſapientia reputabitur. Quędã enim ſcientiæ portio eſt, ſcire quod neſcis, & ea quæ ignoranter non intelligis, prudenter

inquirere. Primo loco inquirendum putaſti, ſi incumbentibus extremæ neceſſitatis anguſtiis momentanea pœnitentia capitalis inimica perſuaſione mentitur, qui maculas longa ætate contractas ſubitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore cõfeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſſe non poteſt. Nam quia Deus non irridetur, ipſe ſe decepit qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam iam ſemi-viuus adſurgit, vt tunc officioſus appareat, quãdo dominicæ ſeruituti omnia corporis & animæ ſubtrahũtur officia. Circa exequendam interioris hominis ſanitatem, non ſolùm accipiendi voluntas, ſed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: Si inquit peccator pœnitẽtiam egerit pro peccatis ſuis (egerit memorauit; non ſolum dixit, acceperit) in ſua, inquit, iuſtitia quam operatus eſt, viuit. Aduertis quod huiuſmodi medicina ſicut ore poſcenda, ita opere conſummanda eſt. Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit: & illo tunc incipit velle quo non poteſt. Opus itaque eſt, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio, tanta ſit in vulnerum curatione deuotio. Secundo, quæſiſti loco, vtrum ſola proficiat ad ſalutem.

vnitæ ſcientia trinitatis. In rebus diuinis non ſolum credendi ratio requiritur ſed placendi. Fides ergo nuda meritis, inanis & vacua eſt, ſicut Apoſtolus dicit: Quid prodeſt ſi fidẽ quis ſe dicat habere, opera autem non habeat: nunquid poteſt ſeruare eum? Sequitur enim: Fides ſi non habeat opera mortua eſt in ſemetipſa. Sed dicit quis, tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meã. Secundum hæc, ſufficere per ſe ſolam credulitatem non probatur. Nam dum ſcire & credere etiam diabolus inuenitur, ſicut idem Apoſtolus dicit: tu credis quod vnus eſt Deus, bene facis, nam & dæmones credunt & contremiſcunt. Vis autẽ ſcire ô homo inanis, quòd fides ſine operibus mortua eſt: Abraham pater nónne ex operibus iuſtificatus eſt? Et ne ſpem noſtram in ſola fidei parte ponamus, ita concluſit: Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt, ſine quibus inanem eſſe hominem dixit. multum ſimilium teſtimoniorum ſtudio breuitatis omittam. Apoſtolus Paulus, de cuius pectore quaſi de templo ſuo Dominus loquebatur, nunquid ſolam fidem ſibi iudicauit ad ſuperanda mundi mala poſſe competere, ita dicẽs?

Corpus meũ caſtigo & in ſeruitutẽ redigo ne fortè cũ aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Ecce per vitia corporis reprobus fieri pertimeſcit, iã probatus per mortifera carnalium cõtagia paſſionũ, vas contumeliæ fieri metuit, qui iã vas electionis effectus eſt. Videamus ſi vitæ ſuæ prodigũ fides ſola defendat, & baptizatus, vt dicis, iã perire nõ poſſit. Agnoſce quomodo mala carnalia alienũ à Deo faciant obſcœnarum mancipiũ voluptatum. Ad Galatas ait Apoſtolus: Manifeſta ſũt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immundicia, luxuria, homicidium, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. qui talia faciunt, regnum Dei non conſequentur. Item ad Epheſios: omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habebit hereditatem in regno Chriſti & Dei. Sine dubio excluſus à regno, inferno & morti eſt mancipãdus. Multos autem baptizatos, ſalua fide diuerſis generibus in æternum perire manifeſtum eſt. Arguit ſermo diuinus non tranſgreſſores fidei, non baptiſmi violatores, ſed eos qui miſericordes eſſe neglexerint, dicens: iudicari ſine miſericordia eũ qui nõ fecit miſericordiã. Et iterũ, Eſuriui, & non dediſtis mihi mãducare, ſitiui, & nõ dediſtis mihi bibere hoſpes eram: & non col-

legiſtis, nudus & nõ operuiſtis me. Si hic ſiniſtri gregis numerus donum baptiſmatis ignoraſſet, infidelitatem eis & impietatem primitus obieciſſet: ſed baptizatos licet, ab operibus tamen bonis vacuos, morti deputat & flammis perennibus derelinquit, & ſeueritatem ſentẽtiæ ita concludet: Diſcedite, inquit, maledicti à me in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Et rurſum: Triticum congregauit in horreum ſuũ, paleas autem combuſſit igne inextinguibili. Similiter inquam, ibũt in vitam æternam, illi verò in ſuppliciũ æternum. Inter hæc videat quiſque ne mendacem arguat Deum de pollicitatione præmij, qui dubitat de æternitate ſupplicij: Non ita eſt. Nam qui nouit honorare merita, nouit punire peccata. Tria itaque hęc capitalia, ſacrilegium, adulterium, homicidiũ, niſi hîc perfectæ pœnitentiæ fuerint expiata remediis, perennibus illic concremabuntur incendiis. Hos itaque immiſericordes à fide & baptiſmò non legis declinaſſe; ſed perpetuam mortem diuina cognoſcis auctoritate meruiſſe. Et hoc etiam animum tuum prouida in futurum cura ſollicitat, vtrum animæ exutæ corpore ſentiendi &. intelligendi vigorem affectú:nque non exuant. Interrogemus diuitem illum ex euangelio

gelio non in terris aureis, vt poëtarum deliramenta adferunt, oberrãtem, ſed in inferni carcere ex illorum numero, qui incluſi pœnam expectant, inter flammas conſcientiæ ante diẽ iudicij conſtitutum, pro fratrum qui adhuc in hoc mundo erant emendatione ſollicitũ, colloqui cum Abraham, per interiectum chaos vaſtiſſimum ſedulam obſecrationem miſcentem, & viuaci germanorum recordatione pulſatum, ita pro viuentibus ſupplicaſſe: Rogo te, inquam pater Abraham, vt mittas Lazarum domum patris mei. habeo enim quinque fratres: vt teſtificetur ille, ne & ipſi veniant in hũc locum tormẽtorum: & ſi qui ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiã agent. Ecce in inferni anguſtia damnatus, nullum iam de ſe remedium habens, tamen antiquum in fratres ſeruat affectũm: & dum damnatus pro peccatoribus rogat, magnam inter paradiſi nemora reſpirantibus iuſtis pro charorum ſuorum commodis curam eſſe demonſtrat. Quod autem requiris; quid mali poſt finem aut detur aut adimatur iniquis, de quibus legimus, Deſiderium peccatorum peribit, Terrenorum cupiditate bonorum & ambitione ſubmota, ſolùm reddendæ rationis pondus & metus intolerandi examinis nec auferentur ſenſus, ſed cogitationem

alterius ſæculi magis expediti alacríſque reddent. Quòd autẽ de ipſa anima vtrũ corporea, an incorporea ſit, poſtulas edoceri. Itaq; quod tẽporibus non includitur nec locorũ terminis coërcetur, quod ſoli Deo competit, hoc tantũ incorporeũ eſſe cognoſce. Sicut vnus doctor eximius diſſerens cuidam ſciſcitanti vbi eſſet Deus, reſpõdit ita: Deus non alicubi eſt. quod alicubi eſt, continetur loco, quod continetur loco, corpus eſt. Quæ cùm ita ſint, omnis caro corpus, non omne corpus eſt caro. Et quia nõ ſolũ anima, ſed etiam Angelorum inuiſibilis cæleſtíſquè ſubſtantia ſicut localibus ſpatiis cõtinetur, ita auctore ſuo corporea eſſe & cõpræhenſibilis approbatur. Quid eſt enim niſi corporeum, quòd de ſupernis ſedibus perturbatum loco ceſſit? Quid eſt quod ſenſit ruinã? Quid eſt quod æternæ flammæ obnoxiũ præparatur ad pœnam? Sed & ipſe beatus Lazarus poſt linguas famulantium canum ſuſceptus manibus Angelorum, de quo legimus: factum eſt vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, corpoream eſſe docuit animam ſuam, dum in ſinum Abrahæ id eſt in remotum beatúmque ſecretum angelicis infertur obſequiis. De anima autem ſua ſanctus propheta pronũciat: educ de carcere animam

Aduerſus hanc ſententiam ſcripſit Claudianus Mamertus Viennenſis Epiſcopus libros I I I. de ſtatu animæ, quibus ° qui præponitur in veteribus exẽplaribus libellus, videtur ex Gennadio eſſe huius Fauſti.

meam, id eſt de hoſpitij corporalis anguſtiis. Ideò factura eius, quæ vel peccatorum iaculis vulneratur, vel vſque ad diuinæ imaginis decus per qualitates mutata prouehetur, abſque dubio, & Deo & angelis à quibus compræhẽdi & transferri poteſt, corporea eſſe euidenter oſtendetur. Requirendum eſt autem inter iſta quid illud ſit quod cùm vterque homo, id eſt anima & corpus, adhuc in paradiſi regione diabolo perſuadente deliquerit, ſola caro per conditionem mortis multam tranſgreſſionis exceperit, & circa vnius pœnam remanſerit culpa communis. Sciendum ergo eſt quod ideò mors ad animam non peruenerit, quia in ea Dominus imaginem ſuam & ſimilitudinẽ collocauit. Nam ſicut Deus immortalis, miſericors, iuſtus & patiens eſt, ita harum dona virtutum in faciem noſtram interiorem infudit: vt quãto quiſque magis iuſtus, & magis miſericors extitiſſet, tanto magis diuinæ participationis munere præditi appareret in interiore homine habitare Chriſtum per fidem. Interrogas etiam cur animæ cum carne ſua aliquid pro corporali errore commune ſit, ſicut originale peccatũ pro vnitate corporalis hoſpitij, vtrumque cõplectitur par vterque, modò in peccatorum ſocietate conſtringatur. Ita

enim in criminum participatione vna cauſa eſt, ſicut in virtutum remuneratione par gloria eſt. Nunquam enim exterior in baratrum luxuriæ caderet, niſi ei conſenſum præberet interior. Nos ipſos interrogemus, & inter nos poterimus agnoſcere, quod mens dominica exercet imperium, & caro ſubiecta famulatũ: hæc exhibet miniſterium, illa conſilium: obedientia à ſeruitute ceſſaret, niſi voluntas à iubente procederet. Similem neceſſe eſt conditionem in damnatione cognoſcant, qui cõtra ſimul in retributione gaudebunt. Dicis adhuc, quæ eſt immortalis quomodo pro mortalibus vitiis torqueatur. Mortalia quidẽ mala ſunt, ſed immortalis erit cruciatus malorum & delictorum cruciatus vitiis deficiẽtibus permanebunt. Meliorem materiam ita inferior traditura iudicio eſt, ſicut conflari aurum plũbi compellit admixtio. Homo ergo pro mortalibus malis moriturus eſt Deo, & victurus inferno: hæc erit illius mors, vt mori ei in dolore non liceat. Extendis in hoc quoque ſollicitudinem tuam, vtrum anima & ſpiritus idẽ ſint, aut quomodo ſegregentur. Duas tantùm in homine animæ & corporis nouerimus eſſe ſubſtantias: Spiritus autem nunc naturalis probatur, nunc accedens inuenitur, aliquando

virtute intelligitur appetitus & ſpiritalis affectus. Hoc genere vnus atque idem homo nũc carnalis, nunc etiam & ſpiritalis eſt. Carnales ſunt, de quibus ait Dominus: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt. & Apoſtolus: qui autẽ in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Carnalis eſt, qui ventri & gutturi edendi & bibendi nimietate deſeruit, & vitæ bonum in gulæ ingluuie & voracitate conſtituit, quando mãducandi & bibendi nimietate vitam computat; quando ei ventris dominatur ingluuies. At verò animalis efficitur, quando adhuc purum Deum cogitans, ſecundum animam ſæculari prudentia ad aliquarum rerum ſcientiam permouetur, quãdo inueſtigandis rerum latentium cauſis aut philoſophiæ delectatur ſtudiis. Vnde & Apoſtolus dicit: animalis homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. Spiritualis eſſe incipit, quãdo honeſta & ſpiritualia concupiſcit, quando ad diuini timoris cultum vigore cordis aſcendit, quando ad ſe ſpiritum per mundiciem corporis, per cuſtodiam caſtitatis inuitat, vt de ea illud Apoſtoli dici poſſit: vos eſtis templũ Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Quæ homini non inſita per naturam, ſed ita ſunt adiuncta per gratiam, vt ſeparari poſſint deſidia inter-

cedente per culpam. Vnde idem Apoſtolus dicit: Qui autem tẽplum Dei violauerit, diſperdet eum Deus. Ecce per fidem non ſolũ baptizatus, ſed & Dei templũ eſſe videtur, & tamen per diuerſa flagitia Dei ſeueritate diſperdetur. Hoc loco perditionis vocabulum æternũ perditæ animæ nouerimus eſſe interitũ. In baptizatorũ numero abſque dubitatione cẽſentur, & membra Chriſti eſſe dicuntur: & vide quomodo perditis comparantur; quomodo à generoſitate filiorum flagitio operante degenerant, dicente Apoſtolo: tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis. Et illi quoque manifeſtiſſimè dona ſecundæ natiuitatis acceperant, qui etiam cariſmatum diuerſitate pollebãt. De quibus Dominus in euãgelio dicit: multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tũc dicet illis, quia nõ noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Quis abdicatos nõ intelligat à ſalute, qui à cõſpectu patris iubentur abſcedere? in ſortẽ eos ſua mors indubitanter accipiet, quos vita quę Chriſtus eſt ignorabit. Baptizatos perditioni tradi pro iniquitatibus ſuis dubitas, cùm baptiſma ipſum per multa

ſcelera perire cognoſcas. Quòd autē, ſicut pagina continet, ſermo tuus de propheta mutatus ignem animæ ſimplicis æſtimauit, de ſola hoc diuinitatis ſubſtantia dicere conuenit, cui nihil appoſitum, nihil à ſuperiore collatum, nihil conſtat adiunctum. Iuſtus pariter & iuſtitia viuens & vita, ſapiens atque ſapiētia eſt, virtus & origo virtutū. In principalibus enim bonis ſuis, hoc eſt ipſe quod poſſidet. Homo verò duplex intelligi poteſt, qui viuens & iuſtus & ſapiens dici poteſt: vita autem & iuſtitia dici non poteſt, quia ita his induitur, vt aliquoties exuatur. Quod homini datū eſt, Deo inſitum eſt. Homo, verbi gratia, deauratus eſt, Deus aurum eſt, in quo hoc eſt potētia & gloria quod natura. Nam quod ſubtiliter indicaſti, ſi omnia hęc quæ dominus Marinus interminatur, excipiūt peccatores, quid magis impij mereantur ignoro. Habēt ſub perennibus malis & ſupplicia gradus ſuos, & grauibus obnoxius peccatis infinitis, licet tamen vtcūque tolerandis, impius verò inauditis cruciatibus torquetur. Tunc autem baptiſmi gratiā habetis, nec poſſet morte aliquem vindicare, niſi in aliquibus eius integritas & dignitas non periret. Graue crimen eſt quod hæreticus accipere noluit, non minus illud graue quod Chriſtia-

nus accipit & perdit. Nã & ille qui fiducia baptiſmi nuptiale cõuiuium ſacri concilij temerator irruperat, nitore puritatis amiſſo de illuſtri iuſtorum conuentu expellitur, & in exteriores tenebras perturbatur. Non credendus eſt niueum ſanctæ generationis poſſidere cãdorem, qui inter inceſtos, veneficos & cruentos, vel præcipitio aut ſuſpendio vitam præcedens in partem trãſiit impiorum. Legimus inextinguibiles flammas factis capitalibus præparatas, hominem verò in malis ſuis viuentem non ſolo baptiſmate ſaluatum eſſe non legimus. Periculoſa ſibi quod cæleſtis ſcriptura nõ legitur, inimica ſecuritas pollicetur, multo periculoſior illa non credere quæ veritas comminatur: aliqua, vt dicitis, beatiſſimus vir Marinus cum interminatione diſſeruit. Sed ſicut illud quod promiſit Dominus diligentibus ſe, etiam teſtimonio Apoſtoli pro rei magnitudine in cor hominis non aſcendit: ita futurorũ immenſitas cruciatuum anguſtias humanæ mentis excedet, quæ mala momẽtanea pœnitentiæ vmbra non remouet, quæ fidem ſine operibus non repellet, quibus terminum ſæculorum labẽtium curſus in flammis inextinguibilibus ſtatuere non valebit, inter quos inexhauſtos vapores tardè ſe anima corporea &

ſentiet

ſentiet & videbit. Et ideò iuſtis, caſtis & piis operibus diem vltimum præcurramus: & hic timendo, ea quæ illic timere nihil proderit, non declinemus. Hic finem infinitis cõtentionibus imponamus, & intoleranda incendia nunc ſalubriter cogitando ex ipſis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.

FAVSTI REGIENSIS EPISCOPI DE POENItentia ad Felicem PP. & Patricium.

Domino piiſſimo & ſpecialibus officiis excolendo, vt confido, in æternum fratri & per omnia domno Fœlici Fauſtus.

MAGNVM pietatis & fidei teſtimonium, quod per tantarum vaſta interualla regionũ & per tot rerum interiecta diſcrimina, ad nos vſque latitudinẽ veſtræ charitatis extenditis. In hac relegatione noſtra artifex Dei noſtri miſericordia gemina exercet officia, noſtram excutit paterna ſedulitate rubiginem, veſtram circa nos dilucidat fidem, veſtrámque adprobat pietatem. Nos elimat benigna ſolertia, vos producit: nos coanguſtat

ſalubriter, vos dilatat. Nos arguimur, vos proficitis: Detrimenta noſtra in veſtra tranſeunt commoda. Cum fœneratores noſtri ſitis, incipitis noſtri eſſe debitores, ſi quidem cauſa veſtræ deuotionis & mercedis veſtra materia ſumus. Opera veſtra de nobis capiunt lucrum: merita veſtra de flagellis noſtris mutuantur augmentum. Veſtræ ſollicitudinis ad nos affectus, ad Deum peruenit fructus: ac ſic duplici modo, & de noſtra caſtigatione, & de veſtra retributione, diuinis beneficiis obligamur. Pœne autem mihi reſpondendi ſilentium perfectio veſtræ conſultationis indixerat. Nam ipſa ſollicitudo interrogãdi videtur forma viuẽdi, quã quotidie de domini mei patris veſtri ſancti Epiſcopi Leonij efficacibus doctrinis & præſentibus documentis ſufficienter attrahitis. Non autem miror ſi & meum quamlibet ex ſuperfluo requiretis inſtitutum, cuius circa vos ſingularem noſtis affectũ. Creditis in adiutorium fidei veſtræ magiſterium meum tam perfectum eſſe quàm votum eſt. Sed licet ſermo meus quem lentiorem etiam præſens reddit infirmitas; veſtro ſufficere vix poſſit ardori, temen paucis conuerſationem veſtrã non tam inſtruam quàm reuoluam. Magnam ſollicitis perhibet euitationem agnitio peccati, metus iudicij, terror ignis æterni. Itaque ad immolan-

da orationum ſacrificia, amica ſunt fruentibus nocturna ſilentia, quibus vſque ad horam tertiam lectio moderata ſuccedat, vt exercitium ſpiritale non deſinat deſiderare, & ſemper poſſit augeri. Vtiná prouideat Dominus vel duo fida ſolatia, cum quibus diurnas & nocturnas exigas functiones, & vel biduo in ſeptimana ſalutãtium frueris officiis. Ardua ſunt quæ pro interrogantis feruore colloquimur: ſed ille laborantium benignus adiutor tam leue tibi faciat iugum ſuum, quàm iucũdum erit præmiũ ſuum. Igitur ſi trepida parum amplius rudimẽta permittunt, alternis hiemales dies ieiuniis tranſigantur: quæ ſicut moderari conuenit, ita neceſſe eſt duplicari, duplicarí inquam. Duo enim ſunt abſtinẽtiæ genera. Vnum eſt, incontinentiæ appetitum à cibo & potu, & à diuerſis carnalium ſuauitatũ illecebris coërcere: & vomere crucis terram ſubiecti exterioris edomare; & neceſſitati potius quàm voluptati temperata moderatione ſeruire, paulum ſi permittat infirmitas, vel alternis diebus donec vis longæ cõſuetudinis ſenſim diſſueſcatur accipere. De vſu verò indumentorum paulatim ſe grauitas ad inferiora ſubmittat, ne ipſa nouitas ſubitæ mediocritatis offendat. Obſeruandum eſt etiã ne elatio de nimia humilitate generetur, & vitium de virtute naſcatur: quæ tamen facilè ſu-

perabitur ſi confuſibilis illa præteritæ conuerſationis hiſtoria ante oculos adducatur, & rea conſcientia trepidis ſenſibus præſentetur. Ita fiet, vt dum per recordationem præteritórum malorum à diabolo ingeſta præſumptio caſtigatur, dúmque iactantia validis culparum armis victa propellitur, crimina quæ generauerant mortem, militare incipiant ad ſalutem: In remedium delicta proficiant & medicina de vulneribus producatur: Et ſicut dixit Apoſtolus, de peccato elaboremus damnare peccatũ. Alterum abſtinentiæ genus eſt multo ſublimius multóque precioſius, motus animi regere, irrationabiles perturbationes, & cogitationum inter ſe colluctantium rebelles tumultus mentis imperio ſubiugare, malitiæ virus tanquam funeſtum aliquod maleficium de penetralibus cordis expuere, & animam contra diuerſarum fluctus tentationum conſtãtiæ moderamine gubernare, & cõtra paſſiones occultas velut contra domeſticos inimicos rixam quandam iraſcentis fidei auctoritate conſerere, inanes curas longè repellere, & à noxiis colloquiis ac deſideriis quibus diabolus paſcitur, abſtinere, & per manſuetudinem, patientiam, tranquillitatem Dei in vultu exteriore excolere, virum ſpiritalia & diuina cogitantem, vt triſtitia non frangat, lætitia non reſoluat, ſtabili-

tum in timore Dei pectus oſtendat magnanimitatis æqualitas, vt nobis coaptari poſſit libelli illius inſigne principium. Erat vir vnus abſtinens ſe ab omni re mala. vir, inquit, vnus, hoc eſt ſemper idem, quia nihil erat in eo dubium, nihil duplex, nihil accidēs, nihil varium vel diuerſum: ſed eum in ſtatu virtutum ſuarū, æquali ordine permanentem tempora nō mutabāt, nec eum, vt maximis fluctibus mos eſt, in alternas partes diuerſa ventorum flabra verſabant. Ita & ſollicitus Dei famulus, inconcuſſa fidei mole fundatus, in hoc tantum Chriſto in ſe operante mutetur, vt nouis ſemper virtutibus induatur. Ante omnia inquātum Deo adiuuante poſſumus, illas in nobis quinque ſenſuum expugnemus illecebras. Quicquid enim pulchreſcit viſu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid molleſcit atractu, quicquid dulceſcit guſtu, quicquid blanditur auditu, hæc omnia ſi his abutamur, intētionem de ſpiritalibus ad terrena deuoluunt. Et ideò ſicut pater fidei Abraham, quinque illos reges in trecentis decem & octo, myſterio intra literam latente, deuicit: ita & nos contra hos principales vitiorum duces in Ieſu nomine & crucis ſigno (hoc enim vtraque æra exprimunt) dimicemus, vt audire mereamur à Domino, Vincenti dabo coronā vitæ, & qui vicerit non lædetur à mor-

te ſecũda: &, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti deripiunt illud. Vim enim ſibi factura eſt anima, vt carnales affectiones ſpiritui ſubdat, vt crucem deliciis præferat, vt vigilias ſomnis dulcibus anteponat, vt aduerſariũ in membris ſuis vincat, vt ex alia alter effectus ad illam Domini præceptionem idoneus inueniatur. Si quis, inquit, vult poſt me venire, abneget ſeipſum ſibi. Si quis ex iracundo patiens efficietur, continens ex luxurioſo, placidus ex cruento, benignus ex inuido, largus ex cupido, toties nos negamus, quoties nos ad meliora conuertimus. Et ideò vt ad hoc aſſurgamus quod eſſe debemus, prius ſtudeamus odiſſe quod fuimus. Oportet vt hic prius mutetur ad vitam, qui illic mutari optat ad gloriam.

INCIPIT CARMEN SEVERI SANCTI, ID EST, Endeleichi Rhetoris de mortibus boum.

Ægon, Buculus, Tityrus.

Æg. QVIDNAM, ſoliuagus, Bucule, triſtia
Demiſsis grauiter luminibus, gemis?
Cur manāt lacrimis largifluis genæ?
Fac, vt norit amans tui.
Buc. Ægon, quæſo, ſinas alta ſilentia
Ægris me penitus condere ſenſibus.
Nam vulnus reſerat, qui mala publicat:
Claudit, qui tacitum premit.
Æg. Contra eſt, quam loqueris: recta nec autumas.
Nam diuiſa, minus ſarcina fit grauis:
Et quicquid tegitur, ſæuius incoquit.
Prodeſt ſermo doloribus.
Scis, Ægon, gregibus quam fuerim potens:
Vt totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concaua vallium,
Campos, & iuga montium.
Nunc lapſæ penitus ſpes opis eſt meæ:
Et longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo.
Curſus tam citus eſt malis.

Æg. *Hæc iam dira lues ſerpere dicitur.*
Pridem Pannonios, Illyricos quoque,
Et Belgas grauiter ſtrauit: & impio
Curſu nos quoque nunc petit.
Sed tu qui ſolitus noſſe ſalubribus
Succis, perniciem pellere noxiam:
Cur non, anticipans quæ metuenda ſunt,
Admoſti medicas manus?
Buc. *Tanti nulla metus peruia ſigna ſunt,*
Sed quod corripit, id morbus & opprimit:
Nec languere ſinit, nec patitur moras.
Sic mors ante luem venit.
Plauſtris ſubdideram fortia corpora
Lectorum, ſtudio quo potui, boum
Queis mentis geminæ conſona tinnulo
Concentu crepitacula,
Ætas conſimilis, ſætáque concolor:
Manſuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum, medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.
Mollito penitus farra dabam ſolo.
Largis putris erat glaba liquoribus.
Sulcos perfacilis ſtiua tetenderat.
Nuſquam vomer inhæſerat:
Læuus bos ſubito labitur impetu;
Æſtas quem domitum viderat altera.
Triſtem continuo diſiugo coniugem
Nil iam plus metuens mali,

Dicto ſed citius conſequitur necem
Semper qui fuerat † & integer, † ſanus.
Tunc longis quatiens ilia pulſibus,
Victum depoſuit caput.
Æg. Angor, diſcrucior, mereo, lugeo.
Damnis quippe tuis non ſecus, ac meis
Pectus conficitur. ſed tamen arbitror
Saluos eſſe greges tibi.
Buc. Illuc tendo miſer, quo grauor acrius.
Nam ſolamen erat vel minimum mali,
Si fetura daret poſterior mihi,
Quod præſens rapuit lues.
Sed quis vera putet? progeniem quoque
Extinctam pariter, vidi ego cernuam
Iunicem grauidam. vidi animas duas
Vno in corpore perditas.
Hic fontis renuens, graminis immemor,
Errat ſucciduo bucula poplite,
Nec longum refugit: ſed grauiter ruit
Leti compede claudicans.
At parte ex alia, qui vitulus modo
Laſciuas ſaliens texuerat vias,
Vt matrem ſubiit: mox ſibi morbido
Peſtem traxit ab vbere.
Mater triſtifico vulnere ſaucia,
Vt vidit vituli condita lumina:
Mugitus iterans, ac miſerè gemens,
Lapſa eſt: & voluit mori.

Tunc tanquam metuens, ne ſitis aridas
Fauces opprimeret: ſic quoque dum iacet,
† moriens. *Admouit † vbera mortuo.*
Poſt mortem pietas viget.
Hinc taurus ſolidi vir gregis, & pater,
Ceruicis validæ, frontis & arduæ,
Lætus dum ſibimet plus nimio placet,
Prato concidit herbido.
Quam multis foliis ſilua cadentibus
Nudatur gelidis tacta aquilonibus:
Quam denſis fluitant velleribus niues,
Tam crebræ pecudum neces.
Nunc totum tegitur funeribus ſolum.
Inflantur tumidis corpora ventribus,
Albent liuidulis lumina nubibus,
Tenſo crura rigent pede.
Iam circum volitant agmina triſtium,
Dirarúmque auium. iamque canum greges
Inſiſtunt laceris viſceribus frui.
Heu! cur non etiam meis?
Æg. *Quidnam, quæſo, quid eſt, quod vario modo*
Fatum triſte necis tranſilit alteros,
Affligítque alios? en tibi Tityrus
Saluo lætus agit grege.
Buc. *Ipſum contueor. Dic age Tityre,*
Quis te ſubripuit cladibus his Deus?
Vt peſtis pecudum; quæ populata ſit
Vicinos, tibi nulla ſit.

Tit. *Signum, quod perhibent eſſe Crucis Dei:*
Magnis qui colitur ſolus in vrbibus
Chriſtus, perpetui gloria numinis,
Cuius filius vnicus:
Hoc ſignum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa ſalus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Saluator vocitatus eſt.
Fugit continuo ſæua lues greges.
Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis: credere ſufficit.
Votum ſola fides iuuat.
Non vllis madida eſt ara eruoribus,
Nec morbus pecudum cæde repellitur.
Sed ſimplex animi purificatio,
Optatis fruitur bonis.
Buc. *Hæc ſi certa probas, Tityre, nil mōror,*
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens.
Nam fallax, & inanis eſt.
Tit. *Atqui iam properat mens mea viſere*
Summi templa Dei. quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam:
Chriſti & † numen agnoſcimus. † numina noſcimus.
Æg. *Et me conſiliis iungite proſperis.*
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum proſit idem perpete ſæculo,
Quo vis morbida vincitur?

Summa Priuilegij.

HEnrici III. Galliarum & Poloniæ Regis priuilegio ſancitum eſt, ne quis Typographus imprimere, neu quis Bibliopola diuendere audeat ante quinquennium, præter Sebaſtianum Niuellium, hæc veterum aliquot Galliç Theologorum ſcripta: quorum nonnulla ex veteribus libris emendatius, aliqua nunc primùm eduntur. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata mulctabitur, vt fuſiùs regio diplomate continetur: Dato Pariſiis xxiiij. Mart. anno M. D. LXXVIII. ſubſignato per Regem, BRVLART. Poſteàque Senatuſconſulto Pariſienſi comprobato xvij. Iunij, eodem anno M. D. LXXVIII.

DV TILLET.